


CERTAMINA
LITTERARIA.

CERTAMINA LITTERARIA
AB ACADEMICIS
SEMINARII PATAVINI

INSTITUTA, ET HABITA.


PRÆCEPTORE

PETRO FACCIOLO,

IPSOQUE PRIMA ORATIONE PRÆEUNTE,
ADDITIS AD CALCEM

DUABUS ALIIS

EJUSDEM ORATIONIBUS.





VENETIIS,
Apud GUILLELMUM ZERLETTI.

MDCCLXVII.

SUPERIORUM PERMISSU, AC PRIVILEG.

JACOBO ADEODATO PAPAFAVA
PATRITIO VENETO
ADOLESCENTULO NOBILISSIMO
PETRUS FACCIOLUS PRÆCEPTOR
S. P. D.

HOrtos Tibi recludo, ADEODATE dulcissime, (patere tantisper ut nunquam nobilitatis, sublimisque conditionis oblitus tuæ, ea Te voce compellem, quam meus in Te abripit amor, alias reiiceret honor) amœnissimos hortos recludo Tibi, dum e Grammaticorum vepribus, atque dumetis extricatum Te ante limen Musarum constituo, ubi bene-Suada Sapientia qua soluta, qua ligata numeris sedem posuit, quæ non modo delectat cultores suos sed etiam sine satietate oblectat. Quod dictitabam Tibi prope quotidie futurum, ut grammatici studii fastidium molestiamque voluptas maxima atque jucunditas consequeretur, id jam jam per me, citoque cognosces. Omnium Artium initia suas habent salebras, suas difficultates, quæ solent ipsarum stu-

diis initiandos pueros non leviter deterrere; ut sæpissime & Parentum, & Præceptorum constantia opus sit, ad eos in officio continendos. Tu vero, Adeodate carissime, ex asperioribus hisce anfractibus, ambagibusque jam emersisti, per commodiores semitas progrediere: sentes atque rubos superasti, in mollioribus graminibus herbisque recumbes: radicum amariores succos exsorbuisti, venustos flores colliges, dulces fructus degustabis. Adesdum mecum, quoniam e calamo excidere flores, fructusque. Contemplare delicias, utilitatesque in Hortis, Agrisque tuis paratas Tibi per Matrem, quæ non solum animum tuum virtutibus, atque doctrinis excultum concupiscit, & ut excolatur omni ope nititur, omni ratione curat, omni tempore invigilat, sed quia ad usum, decusque vitæ pro cujusque conditione quæri oportet necessaria, tua illa providentissima Mater in tuo, tuique gratia perpetuo victu, atque cultu expensis prorsus inutilibus abstinens, quas tamen non solum usus, sed etiam Gentis tuæ dignitas postulat, omnes faciens & censum tuum ipsamet industria sua non minimum auxit, ad utendum fructibus, & Hortum tuum

(quem

(quem si possent laudandum suscipere qui Alcinoi, & Hesperidum hortos memorant, non viderentur fortasse magnopere uti poetica licentia, si hunc illis præferrent) antehac injuria temporis prope squallidum Hortum tuum, & in deterius ruentem restauravit, ornavit, amœnissimum reddidit, ad fruendum deliciis. Sed, ut eo redeamus, unde casu digredi ipse Orationis cursus admonuit, contemplare & flores, & fructus domi tuæ : illi visum, isti gustum oblectant. Unde hæc jucunditas, & suavitas tanta, nisi e radicibus amarulentis? Sic Tu ex injucunda adhuc studiorum tuorum tanquam radice brevi fructus dulcissimos capies. Neque ego id eo disputo quasi eorum Tibi tantum potiundum sit, & non laborandum: *nil sine magno vita labore dedit mortalibus*. Sed præterquamquod minuitur exercitatione labor, discendi voluptate in dies magis ac magis augescente ita minuitur, ut tandem nihil sentiatur. Jam Tibi per me patent Eloquentiæ, & Poeseos limina, quæ prætergrediens subibis hortos illos honestarum voluptatum refertissimos, quos antea commemoraveram. An ego hic Poeticæ, & Oratoriæ artis laudes Tibi contexam, quæ licet valerent

ad excitandum Te, ut earum cupiditate inflammatus libentius avidiusque ad eam gloriam adspirares; tamen immensæ illæ cum sint, & sublimiore stylo efferendæ, in epistolam ex se ingentem rerum copiam, & elatius dicendi genus respuentem ineptissime caderent? Has Tibi privatim potius, quantum oportuerit, recensebo, & quæ de Eloquentiæ cum Poesi conjunctione viginti ab hinc annis publice disputavi, per otium communicabo, fortasse publicæ quoque luci una cum aliis bene multis, quæ hoc animo seposita teneo, si quæ nunc typis profero studiosis Adolescentibus non displicuerint, commissurus. Interea præsto quod promiseram, cum P. Virgilium planiorem per me factum tuo nomine inscriberem, diceremque me daturum & alia, quæ sperarem *Tibi jucunda fore, & Adolescentibus ad Litterarum laudem contendentibus non inutilia*. Quamquam omnium præstantissimos, & aliorum Magistros Oratores ad imitandum, quod est ex Præceptoris officio, Tibi proponam, artem eorum virtutesque explicabo, tamen ut me ducentem libentius sequare, meisque vestigiis alacrius insistas, tres Orationes meas, levidense tametsi munus, Tibi in præsens offe-

offero, quo quid, quantumcumque ſit illud, quod in illorum lectione, & commentatione profecerim, cognoſcendo per hunc quaſi inferiorem gradum ad ſuperiorem adſcendas. Immo, ut molliorem faciliorem que adſcenſum Tibi ſubſternam, meorum olim Auditorum ſpecimina tum Oratoria, tum Poetica legenda meditate exhibeo, ut cogites quantum alii Duce me profecerunt, & velis Tu quoque eodem Duce tantumdem, atque adeo magis proficere. Sed de hoc pluribus inter nos: non juvat modò detinere Te pluribus. Vale & diſce libens. Φιλομαθὴς, ἴσῃ καὶ πολυμαθής.

L E C T O R I.

NOvum tibi affero, Lector benevole, nihil tamen afferens novi. Quæcumque enim hoc exiguo volumine continentur vel Oratorio, vel Poetico ſtylo conſcripta ſunt. Quid autem omni ætate vulgatum frequentius, cum & Bibliothecas onerent libri hujuſmodi multitudine, & in Librariorum cancellis præ copia ſtipati jaceant, & (ut omittam qui ad diſpertienda inter paginas varii coloris fila ſemellis inſerviunt: indignor enim eos referre, qui ad pharmacopolas, & ſalſamentarios deferuntur) tam multi in dies typis excudantur? Nihilo tamen ſecius cum lucubrationes hujuſmodi omnes ſint auctorum ſuorum, ſingulæ ſingulorum, nec ab aliis aliæ fluentes, & cum aliis colligatæ, ab uno, tanquam capite, ducta origine, id hic ti-

bi

bi novi proponitur per hæc Litteraria Certamina a meis Auditoribus instituta, ut a me habeas scriptiones non meas, & ita singulorum singulas, ut aliæ pendeant ab aliis, ad alias referantur, aliisve respondeant, quæ tamen omnes a me uno profluxerint. Patere, quo planius intelligas, ut aliquanto altius rem deducam. B. Gregorius Barbadicus, nostrorum temporum cum sanctitate, tum litteratura singulare decus atque ornamentum, quem quoties nomino, sentio me affectu animi dulcissimo commoveri, inter cæteras bonarum Artium Scholas in Patavino Seminario suo constitutas, Academiam instituit, h.e. cœtum eorum Adolescentum, qui ingenio ad ea studia, quæ ab Humanitate sibi nomen vindicant, apto supra cæteros excellerent, cui Scholæ non alium Magistrum, quam studiorum Præfectum attribuendum sanxit; ratione sane probabili, ut qui cæteris Alumnis ingenio præstarent, eos Auditores haberet is, qui cæteris Præceptoribus humaniorum litterarum cognitione præiret. Verum cum ad hoc circiter tempus nunquam defuerint, qui possent æque atque Studiorum Præfectus Juvenes sollertiores Musarum lacte, atque adeo litterario solidiore cibo nutrire, cumque extra ordinem, & supra officium alia insuper provincia Præfecto Studiorum demandata fuerit, alii Præceptori Adolescentes in disciplinam traditi sunt. Video avidum te, amice Lector, narrationis explicatioris. Tuæ ut obsequar cupiditati paullulum Orationis filum interrumpam, quamquam extra chorum non saltabo. Joannes Georgius Cornelius Episcopus Patavinus, S. R. E. Cardinalis re Eminentissimus, alter Seminarii Parens munificentissimus, qui tanto rectius, atque gloriosius futurum regimen suum arbitratus est, quanto fidelius, ac religiosius B. Gregorii Barbadici vestigia secutus fuisset, probe intelligens quantæ futurum esset universæ Rei litterariæ utilitati, ipsique Seminario celebritati, ac nominis prædicationi, in sententiam venit Jacobi Facciolati per ea tempora Studiorum Præfecti, de Latina Lingua meritissimi, nulla mea commendatione indigentis, quem jamdudum vulgata monumenta sua satis superque commen-

mendant, ut Latinum Lexicon expurgatum, & auctum quanto ocyus Seminarii typis ederetur, illudque onus enimvero graviſſimum ipſi Facciolato latinitatis ſcientiſſimo impoſuit. Ex eo factum eſt, ut Academicorum inſtitutio in Præceptorem alium transferretur. Quid autem cauſæ fuerit cur deinceps etiam citra opus illud Præfecti provincia diviſa permanſerit quærere ſi juvaret, non vacaret filum Orationis longius producere. Verum nihil refert, cum quod intererat Adoleſcentum rationibus non defuerit, Studiorum Præfecto, & Academiæ Profeſſore ita conjunctis, ut, ſi res ferret, alter alterius vices ſubiret; quod aliquando contigit, & anno 1760. maxime, quo Præfectus Studiorum Academicam artem pro me factitavit, & pro eodem ego in ſolenni Studiorum inſtauratione proludi, quam proluſionem ad calcem hujus operis videſis. Sed tempus eſt ut ad Diſcipulos Academicos (eſt enim id quod agimus) revertamur. Inſtitutum loci eſt, ut Academici ſex per annum Certamina Litteraria committant. Ut intelligas, quod ſuperius dixeram, hic exhiberi tibi Scriptiones non meas, eas tamen omnes a me profectas, habe qua ego ratione hæc Certamina paranda putavi. Proponebam primo Auditoribus meis argumentum univerſum, ſive problemma, tum peculiare thema ſuum ſingulis, ita tamen ut omnia ſive oppoſita, ſive alia ab aliis deducta in unum collinearent, præcipiebamque quo cuique ſcribendi genere in ſua explenda parte utendum eſſet. Tum vero, cum omnes ſaltem in diſſerendi ratione, & veri, ac falſi judicandi ſcientia verſati eſſent, in ſcribendo antea exerceri ſoliti materia a Magiſtro tradita, ut eos proprio marte invenire aſſueſſacerem, jubebam quemque excogitare quid ad rem ſuam aptum putarent, quæque excogitaſſent omnia tanquam in ſilvam conferrent. Has ego ſilvas legendo percurrebam. Si probanda videbantur quæ inveniſſent, quod accidit perſæpe, animos dabam, ut diſponerent, & expolirent: ſi quid detrahendum, aut addendum occurriſſet, id ego præſtabam, quo eos in recta via conſtituerem, quam tenentes ſine adminiculis ipſi per ſe ulterius progrederentur,

Ita

Ita indicato rerum dicendarum fonte, & ordine, urgebat quisque opus suum, pensumque absolvebat: postremo censuræ meæ subiiciebantur omnia, ut expenderem quæ castiganda, quæ probanda, ubi litura, ubi lima opus esset. Hic ego ut tibi, Lector candide, debeo vera dicere, nec meo, qui semper fuit sollicitus ac patrius in discipulos, amore ductus falsas meis tributas laudes tibi obtrudere, sic nec veritus ne suspiceris fictas, iis debeo veras detrahere. Fateor: non omnium ingenia paria fuerunt, neque omnium lucubrationes laude dignæ pari. At prima sequentem honestum est in secundis, tertiisque consistere. Ne te morer, quæ leges comprehensa versibus, præter id quod antea dixi, de meo vix quidquam audies. In Orationibus autem seu longioribus, seu brevioribus multa sunt e Discipulorum depromta penu, sed quia Oratorius ad aurium mensuram numerus atque modus longiorem exercitationem & usum postulat, quam quantum expectare ab Adolescente possis, sæpe verborum circuitum equidem mutavi, sæpe humiliora, vel aliquando jejuniora ad pleniorem nobiliore stylo dictionem extuli. Quod si inter legendum deprehendenti quæ tibi placeant, suboriatur aliqua dubitatio, num tantum Adolescentes perficere potuerint, quantum perfectum esse tibi forte visum fuerit, præsertim cum ubique locorum hujusmodi certamina ab ipsis magistris omnino parata & instructa puerorum, atque etiam adolescentum, quasi picarum, ore proferantur, tibi persuadeas velim in Seminario Patavino ab Academicæ Scholæ principio ad extremum usque, discipulos, duce certe & adjutore Magistro, a se elucubrata recitasse. Dubitas adhuc? Age sis. Quanta famæ celebritate floruerit Seminarium Patavinum, non est cur ego dicam; tu ipse noveris, nisi plane hospes ac peregrinus sis: quamquam quænam est tam remota ex cultis Natio, quis locus, nisi prorsus barbarus, a nobis ita sejunctus, quo non pervaserit Seminarii Patavini cum laude nomen? Unde tu id ortum putes? A præstantia & copia Præceptorum, & ingenti fructu Discipulorum. Illos satis per se laudatos ac notos pro ratio-

ratione temporis silentio prætereamus, in re, quæ præ manibus est, hæreamus. Quot ibidem, præter Academiam, bonarum Artium ludi fuerint, quot sint, opinor, nosti. Ac cæteri quidem Auditores, qui in iis cursum cucurrerunt, certe non simul ac ex iis prodiere, ad artis laudem quique suæ pertinuerunt: quantum enim illas Artes percurrendo proficere potuerunt id est, ut per se discere didicerint, &, ut dicitur, sine cortice nare, quo vel sibi relicti tundendo incudem in arte sua progressu temporis præstare possent. Ad Academicos autem quod attinet, nonne re ipsa comprobatum est vel per id ipsum temporis, quo Auditores erant, sæpissime rogatos poetica edenda typis scripsisse, & ubi Academica rude donati sunt, illico Præceptores factos non solum Poeticæ, sed etiam Oratoriæ Scriptionis exempla aliis dictare consuevisse? Et quidem, si annales Seminarienses evolvas, reperies admodum paucos ad docendum selectos, non ex Academico Ludo desumtos; quippe ad humaniores litteras apta ingenia ad omnes liberales artes tradendas idonea experientia inventa sunt, quodque mirere magis, omnium tamen indidem hominum cognitione notum, ad eas ipsas quas ab aliis non acceperint, sed per se ipsi arripuerint. Quid? Alia Seminaria non solum in nostris Urbibus, verum etiam in exteris, quantum adjumenti, & incrementi in re litteraria acceptum referunt Academiæ Seminariensi Patavinæ? Nam annuo Studiorum cursu peracto quotannis adhuc aliunde per certos homines conquisitum est, quinam ex iis, qui totum studiorum curriculum confecissent, viderentur aptiores ad litterarum gustum eo transferendum, quo optimis conditionibus invitarentur. Recense, si lubet, singulos hinc alio traductos. Invenias enimvero paucos non ex hac Academia. Sed obvios interroga in celebritate nominis & gloria versantes, eos dico, qui in Seminario Patavino alti educatique fuerint, non dicam omnino omnes, sed plerosque certe, ac fere omnes audies Accademicis studiis operam ibidem dedisse. Persuaderi ne tandem potes, sublata omni dubitatione, Præceptoris quidem du-

ductu, uti dicebam, & ope modica Auditores ipsos hæc certamina proprio marte commisisse? De hoc satis: ad alia propero exitum spectans. Multos ego annos hoc docendi munus exercui. Academicas disputationes a me propositas, & ab Auditoribus absolutas collegi quidem, non tamen ea semper cura fuit, ut colligerem omnes, immo neque omnes singularum partes, atque adeo neque habui in animo collectas diligentissime custodire. Tum enim cum huic provinciæ præessem, quantum propemodum Cælum a Terra distat, tantum equidem aberam ab ea cogitatione futurum aliquando, ut deliberarem has commissiones publice habitas publici juris per typos facere. Sed meæ in eo negligentiæ præcipue pænitet, quod singulis poeticis, oratoriisque opusculis Auctoris nomen non inscripserim, epigrammata græca pauca repetiverim, pauciora servarim, cantiones autem hebraicas mihi tradi prorsus nullas postularim. Atque in his quidem, præter argumentum, ac sensa nihil mihi juris arrogo. Erat enim peculiaris Linguarum Orientalium Schola, a B. Gregorio Barbadico, magno animi ardore inducta, multisque suffulta præsidiis per ingentes factas characteribus ejus generis comparandis impensas, e qua Schola aliquis latina carmina a me proposita, ab earum Linguarum Professore hebraice reddita pronunciabat. Nihilominus si prævidissem statuendum mihi hæc litteraria certamina in lucem emittere, ad complementum operis, neque hebraica, saltem tanquam Scholæ reliquias, prætermisissem. Jam enim Schola una cum Professore eruditissimo, magnique in iis studiis nominis Antonio Zanolino & decubuit, & occubuit. Græca vero epigrammata etsi aliquot habeo, quia tamen plura desunt, non puto pretium operæ alias Commissiones hoc ornamentum præferre, quo plures careant. Unum do, quod ad rem arbitror, Certamine primo, ubi Linguarum Orientalium Musa præses exultat, Gregorio Barbadico Beatorum fastis primum adscripto, ut, Orientali mihi per imprudentiam in præsens deficiente Musa, Græca saltem ejus amica & affinis partes agat. Illud

lud


lud enimvero ante omnia fero gravate, quod non adservatis Auctorum nominibus, singulorum merita nota facere nullo modo possum. Etsi enim multos memoria teneo, plurium tamen in mentem mihi non venit: ea est enim longioris temporis recordatio, iique in varia, ac remotiora loca dispersi cum sint, infinitum opus esset omnes per litteras consulere, & quæ ad quemque scripta pertineant, absentes interrogando secernere. Quorsum autem aliorum nomen tibi subiiciam, aliorum non subiiciam? nullius, si minus omnium, puto consultius. Si in illorum manus hoc volumen venerit, noscent ipsi se. Quamquam quod necessitate cogor ut faciam, illis aut omnibus, aut aliquibus acciderit forte non ingratum. Cum enim illi jam modo grandiores natu, & in his humanioribus disciplinis longe exercitatiores, & in hominum oculis positi magna litteraturæ gloria fruantur, fortasse, si olim Tullius querebatur, se puero, aut adolescente (sub annum scilicet ætatis vicesimum) ex commentariolis suis inchoata ac rudia excidisse, vix ea ætate digna, eoque usu, quem ex causis, quas dixerat, consecutus fuerat, non dissimilem querelam Auditores antehac mei hoc tempore fortasse usurpaverint. Tutum igitur silentium adhuc est. Superest singulorum certaminum ratio, causaque explicanda. Si legendo attentius mentem intenderis ipse per te quantum satis erit coniicies. Nolo te in vestibulo longiore sermone delassare. Vale, nos nostraque amato, si potes, sin minus, æqui bonique facito.

CER-

CERTAMINUM INDEX.


Quæ oculos errata fefellerint, vide in postrema Pagina.

DE



DE GREGORIO BARBADICO BEATORUM *FASTIS ADSCRIPTO.*

ORATIO.



UM universam Christianam Rempublicam jam altero ab hinc anno ingenti gaudio, gestientique lætitia compleverit Beatorum fastis meritissimo adscriptus Patavinæ Diœcesis quondam Episcopus sanctissimus, S. R. E. Cardinalis non dignitate modo, sed & virtute Eminentissimus, hujus Seminarii Conditor, Institutor, Pater, munificentissimus, sapientissimus, amantissimus, GREGORIUS BARBADICUS, (o nomen amabile, nomen suavissimum, dulcissimum nomen, quod ipsum per se unum infusum auribus intimos sensus percellit inusitata pietatis vehementia, totam præ novo gaudio commovet animam, & ipsasmet concutit exultatio-

ne medullas!) Jamdudum, inquam, ad Beatorum religionem venerationemque Barbadicus consecratus cum sit, mirabitur fortasse quispiam ecquid nos in communi commotione animorum, in tanta celebritate, in tam diuturna gaudii significatione, inter plausus ubique excitatos, resonantesque ubique cantus, tam diuturno silentio usi fuerimus, ut quos officium supra cæteros admonebat, & omnium principes ad præferendum, atque adeo ostentandum triumphum esse jubebat, ii omnium postremi tandem, quasi e somno excitati prodierimus ad nostram occultatam adhuc, sed vere maximam voluptatem ex intimis sensibus eliciendam? Auditione accepimus quam magnifice splendide ornate, quam hilariter læte jucunde primo institutum Gregorii nomine festum diem agitaverit illa Roma, quæ superbissimis olim illis suis adsueta triumphis, ex iis nullum hoc ornatiorem, ac lætiorem egit: Et quasi elingues accepimus. Delatum est ad nos nullis impensis Bergomenses pepercisse, omnium animos in hilaritatem, linguas in bona verba, ingenia in laudes effusa fuisse, quo gratum in sanctum ipsorum olim Pastorem animum, & ex ejus recenti gloria exultantem testatum facerent: Et taciti audivimus. Venetiis, quæ in certamine honoris, magnificentiæ, dignitatis cedere non solent ullis, in Civis sui honorem admirabilia facta prope vidimus: & silentes vidimus. Incurrerunt nobis non modo in oculos, sed in aures etiam hic in Patria pompæ, apparatusque, in quibus cum sumtu elegantia certabat, effusæ veluti triumphantium voces, sacri cantus, quasi Angelorum ex eadem causa in Cælo plausibus occinentes: & tamen oculis, auribusque hausimus obmutescentes. Admonuerunt tandem nos officii nostri Curiæ omnes Urbanæ, Rusticæque, tum reliquæ Sacræ Ædes, quæ omnes qualiacumque potuerunt, festivita-

tis

tis argumenta dedere. Jam expletus est omnium civium effervescens alacritate animus; & nos votorum damnati, in Aris posito Barbadico, quod jamdudum ardentissime expectabamus, hactenus quasi sensu carentes in torpore jacuimus? Vere ut dicam, ita casus tulit, nec aliter tempori accommodanda erat rerum nostrarum ratio. Verumtamen accidit peropportune, ut, quia noster animus expleri gaudio non potest, locum prius daremus iis, quorum expleri poterat, &, cum illi desiissent, tum nos, quasi fractis repagulis, quibus, velut aquæ aggeribus, continebamur, nostram de B. Viro testari jucunditatem, & in ejus præconia excurrere inciperemus, nunquam in posterum desituri. Cum igitur in apparatuum magnificentia, ornamentorum copia, impensarum multitudine, pro rerum nostrarum præ aliis tenuitate, facere non potuerimus, quantumcumque fecerimus, quin vinceremur, vincemus in hoc, quod præ nobis ferimus lætandum esse nobis impendio magis, quam cæteris, cum plus quam cæteri Barbadico debeamus, & rite pollicemur, sancteque recipimus, ejus merita, meritorumque laudes nos in omnem posteritatem celebraturos. Atque ita, cum cæteri profusa lætitia torrentes imitati fuerint, qui exultantes aquarum immensam vim rapido impetu cum devolverint, brevi exonerati deficiunt, nos contenti erimus, si videbimur fontes imitati, tenues illos quidem & exiguis undis sensim defluentes, at nunquam intermisso lapsu perennes.

Si quanto quisque amplioribus affectus est beneficiis, quantoque certioribus amoris & charitatis argumentis devinctus, tanto quemque ex delatis munifico, amantique Patrono honoribus plus gaudii suscipere grati animi officium compellit, tanto, jam modo publicæ venerationi proposito Barbadico, nos plus cæteris triumphare gaudio, exultare lætitia par

est, quanto ejus in nos benefacta quamlibet in quoslibet benevolentiæ significationem magis superarunt. Fateantur alii, sibique fatendo placeant, atque adeo prædicent summis se ex Gregorii vigilantia, studio, liberalitate, pietate obstrictos fuisse beneficiorum, benevolentiæque vinculis: vera dixerint, quantacumque dixerint, nec satis ad veritatem unquam, sed minora meritis usque dixerint. Non illa equidem imminuam, quod nefas fuerit, neque nostris conferam, quod temerarium. Verum quæ quantaque fuerint ejus in nos collata munera, promerita, & studii, amoris, charitatisque signa cum retulero, comparationem cum aliis instituendam tacitis judiciis vestris relinquam. Expendite quæso, num quid cuipiam majus deberi possit. Nos per Barbadicum sumus, qui non eramus. Verba nec pauciora proferri possunt, nec significantiora. Nulli alteri tantum debent, quantum Parenti Liberi. Cum vero omnia Parenti Liberi debeant, possunt ne illi majus quidpiam dicere, quam *per Te sumus*? id enim unum complectitur omnia. Quid ego aut vobis ante oculos ponam veteres Loci angustias, quas vix ad Seminarii nomen aptas cum accepisset Gregorius, easque nec satis esse ad adumbrandum, immo nec ad vestigium, quod Græci dicunt ἰχνογραφίαν, ponendum cum judicasset, Vir immensi animi aggressus opus a multis ingentes, ac fere regios sumtus ad id perficiendum necessarios obiicientibus, tum, cum deliberaretur, desperatum, absolvit ære suo, sua quoque opinione celerius? & ita absolvit, ut simul atque extitit, magnum fuerit. Aut quid in memoriam revocem Alumnorum paucitatem, quos illius temporis homines numerare desierint, numerare cum cæperint? At vix ampla ad habitandum parata domo, confluere undique non modo e nostris, sed etiam ab exteris vicinis, remotisque regionibus Pueri,

& ado-

& adolescentes, permotis illorum Parentibus illustri nomine, & fama vulgatissima Patavini Antistitis. Aut quid ego referam annonæ tenuitatem, quam vix ullam fuisse evincit Seminarii census, qui totus dicitur Gregorianus? Properare meum gestientem animum innumera, & mira omnia parturientem retardat ea cogitatio, in contentione gloriæ, quam instituere solent oppida, & Urbes de Conditoribus suis, Seminarii Patavini Conditorem vicisse. Jactent alii generis claritatem, venditent alii militarem virtutem, alii superbiant Originis antiquitate, decora quælibet ornamentaque ostentent omnes: ne longum faciam alias Barbadici illustriores opponendo laudes, ecquis eorum opibus suis, & non alienis, sedem condidit, aut conditam ad incolarum conservationem fructuum subsidiis, & affluentibus copiis, vel detractis vitæ suæ necessariis locupletavit? Nempe Barbadicus Seminarii non tam conditor, quam Pater fuit: vere Pater, qui non solum commodas ædes filiis magna auri copia comparavit, non solum reditus ad firmandas stabilivit, sed etiam quæritabat undique egenos pueros optima indole, & perspicaci ingenio in Seminario suis aliis præterea sumtibus instituendos, quorum aliis pro tenui re familiari promoveri ad Sacerdotium prohibitis patrimonium constitueret, alios ad mensæ Gregorianæ titulum sacris initiaret: tam sollicitus Pater, ne quid domestica res nostra detrimenti caperet, ut, qui alienos plurimos alebat hoc in loco pecunia sua, Nepotes Fratris filios nulla alia nisi paterna alendos in Seminaristicam disciplinam tradiderit: non mirandum in eo, qui dicere consuesceret, Seminarii Alumnos sibi esse filios, suumque æs in filios erogandum. Quamquam piget memorare quid vivens fecerit, quoties quod fecit moriens reminiscor. O rem prædicandam, quam nulla obliviscatur posteri-

 tas!

tas! Cum e tenebris, ac vinculis corporis in lucem, libertatemque vocaretur, promissam piis omnibus hæreditatem aditurus, supremis tabulis Seminarium, non ullum de Gente sua, hæredem ex Asse scripsit: quo postremo pignore charitatis, qua Ecclesiæ suæ germina in ejus spem, & commodum succrescentia complectebatur amantissimus Pater, ecquod luculentius postulatis? Atqui amavit ille suos, quantum rectus animus potens est amoris. Ad Te nobilissima Barbadica Gens pertinet heroicum illud Gentilis tui: *multa vobis relinquam moriens, propterea quod nihil omnino relinquam*. quo divitias, honores, opes eum tibi prædixisse huc usque eventus probavit, nunc autem patet explicatius promissum tunc temporis subobscurum. Non poterat ita naturam superare, ita a *carne* & *sanguine abstrahi*, nisi Heros Beatorum cætibus inferendus, mortalium religioni sacrandus. En quid tibi reliquerit, Barbadica Gens, cum nihil reliquit. Totus Christianus Orbis prostratus adorat, & Beatorum cultu veneratur Gentilem tuum. Ad tua innumerabilia præclarissima decora, quæ enarrare tempore impedior, multitudine prohibeor, magnitudine deterreor, hoc certe gloriosissimum, tamquam maximus cumulus, jam modo accessit, ut Prognati tui Sanctitas Te conspicuam fecerit Nationibus omnibus; ejusdem vero charitas, quæ Te nobiscum, nos Tecum hæredum, & posterorum nomine copulavit, effecerit, ne in communi hac mortalis caducæque naturæ conditione, quamdiu Seminarium exstiterit, Barbadicorum nomen unquam intercidat, quippe e Barbadica Gente gloriabimur nos esse, qui non eramus. Interim vero, dum ex hac immortali vestra gloria, & ex hoc vestri Nominis triumpho superbire vos æquum est, mirifico jucunditatis fructu nos efferri liceat, cum ad tantam gloriam evectum illum videamus, cujus nos hæ-

hæredes nominamur, & ſumus. Si Aſſem ſpectes, tenuis fuit ille quidem; nec poterat eſſe alius, poſtquam partim in pauperes, partim in nos, ad ventris uſque fraudem (o Patrem jejunii patientem, ne filioli eſuriant!) omnino omnia effudit, nihil ut ſibi reliquum fecerit. Sed illa ipſa parva ſupellex, quæ vel corpori tegendo, vel ſacris operandis, vel doctrina excultiſſimi hominis ſtudiis recolendis neceſſaria ita erat, ut ea nequaquam ſpoliari niſi poſt mortem poſſet, illa ipſa nobis præ immenſis copiis pretioſiſſima eſt, non auro, non gemmis commutanda; quam perpetuo feremus in oculis, habebimus in deliciis, &, ut ſacra, pio animi ſenſu exoſculabimur. Cum itaque habuerimus quæcumque habemus ab ipſo, dum viveret, quæcumque ſupererant ad uſum ſuum nobis ille reliquerit, unum non reliquit: Cadaver. ſcilicet, quod ipſe unum negligebat, ac prope oderat. Ne expectetis ut referam, quibus cruciatibus corpus exerceret, quibus flagellis terga cæderet, quibus ſetis pectus, dorſumque torqueret, quibus hamatis catenis lumbos adſtringeret, ut corpus, & quidem a pueritia innocens, atque impollutum in ſervitutem redigeret, ac tanquam hoſtem debellaret: Neque enim par eſt hoc triumphi tempore miſeranda commemorare, & affici eo confecto tormentis corpore, quod a corruptione ipſa tormenta ſervarunt; quo pretioſo theſauro Patavina lætatur Eccleſia. Gaudeat Eccleſia Princeps ſacri pignoris cuſtos, & ſanctis, honoratiſque exuviis immortaliter gaudeat. Verumtamen ſi Gregorius cadaver ſuum nobis ſupereſſe neglexit, ſpiritum apud nos ſervandum curavit. Nunc enimvero elatiore voce jactare me liceat, atque exultantem animi affectum præ impatienti hilaritate erupturum ſonantius expromere. Vivit, vivit Barbadicus inter nos, cujus ſpiritus, atque adeo vox in monumentis ad noſtram

institutionem conscriptis nunquam defectura exauditur; monumentis perennibus ejus invictæ sollicitudinis, acerrimi studii, insatiabilis charitatis, quibus morum disciplinam, & doctrinarum ad probitatem adminiculum in hunc locum ipse invexit, ipse aluit, ipse excoluit, ipse, quod dici potest ad Hominis gloriam, in admirabilem integritatis, atque excellentiæ gradum extulit. Quæ quibus anteferam, & angustiis temporis prohibitus multa dicere, quæ dicam, quæ missa faciam, vastissimo quasi rerum dicendarum invectus mari? Si satis dicere non vacat, satius est nihil, quam pauca dicere, præsertim ea notissima omnibus cum sint omnia. Omitto in provincia sua pro Episcopi munere perlustranda, quam anxie Puerorum indolem, ingeniumque exploraret, ut eos demum in Seminarium reciperet, in quibus & divinæ gloriæ, & cum sua alienæ salutis aliquando procurandæ spes eluceret. Omitto contentiones, labores, impensas in evocandis undique probitate, & scientia præcellentibus viris, qui bonarum, & maxime divinarum rerum cognitionibus eos, tanquam liquoribus beneolentibus vascula, primum imbuerent: Omitto Bibliothecam utilissimis ad quamlibet disciplinam libris instructam, dicatamque perpetuo Seminariensium usui, ne ullum ad fovenda litterarum studia, artesque bonas addiscendas subsidii genus desiderarent. Omitto..... sed ne tempus teram, dicendo, quæ omittere polliceor, illud non omitto, quod cum pueris in pietate, & litteris instituendis probatissimos præfecisset, de quibus, quin suo quique muneri satisfacerent, dubitare haudquaquam posset, non contentus aliena fide, & vigilantia, ventitabat huc frequentissime, ceu Pastor suas invisurus oves. Enumerat singulas parvulas, atque grandiores Pastor, ut num qua stabulo, Gregorius, num qua officio desit, recognoscat. Explorat ille,

num

num salubri pabulo nutriantur, atque pinguescant: adest hic prælegentibus, disputantibus, colloquentibus, ut & doctrinæ sanitatem, & discipulorum progressum expendat. Ille aberrantes ire viam viridi hibisco, & gratioribus herbis compellit: hic mansuetæ pro natura sua vocis dulcedine revocat, & ad studiorum iter persequendum incitat. Ille tandem, ubi omnia respondere votis deprehendit, pabulantes per prata (semel concedatur locus Poetæ) *arundineo carmine mulcet oves*: hic verbis laudibusque quovis Lyræ sono suavioribus animos addit: Verum enim vero ea præcipua erat cura, atque investigatio, num teneri adolescentium animi ad solidæ pietatis, atque virtutis culturam informarentur. Nullus horti custos tam sedulus invigilat, ne quæ malæ, aut inutiles herbæ succrescant, tam multis aquarum derivationibus solum fecundat, tam avide flores, & fructus expectat, & fragranti per hortum undique odore tantopere oblectatur, quam studiosus, & anxius erat Gregorius, ne quid vitii in hoc quasi cultissimo vireto suo foveretur, ne quid erumperet; quam copiosis hic a se consitas tenellas plantas doctrinarum imbribus irrigabat; quanto animi ardore contendebat, ut virtus eflorésceret, ac maturitatem assequeretur; quantopere concupiscebat, ut hic halaret Christi bonus odor. Res illa fuerit perjucunda visu, videre virum principem ad Puerorum quasi familiaritatem se demittere, eosque erecto esse animo jubere; videre Hominem quin ex communi opinione Angelum, aut Carolum Borromæum inter mortales versantem Pueris amanter arridere, suaviter blandiri, eosdemque hilare amplecti, ac tantum non, decoro ægre vetante, osculari: videre Parentem filiorum corona stipatum pia miscere colloquia, & verbis charitate plenissimis ad virtutem, atque officia religionis accendere, res fuerit jucunda visu; sed

ſed illa & jucunda, & admirabilis, hominem in tam ſublimi dignitatis gradu collocatum magiſtrorum tanquam hypodidaſcalum, miniſtrorum tanquam Vicarium partes obire. Ingrediminor mecum in ſcholas, Auditores; res eſt enim ad commemorandum tam grata, quam quæ gratiſſima. Non in Profeſſoris ſubſelliis, ſed in Auditorum ſediculis ſedet Epiſcopus; quaſi factus parvulus cum Apoſtolo, in medio eorum, & tanquam ſi nutrix foveret filios ſuos, eos doctrinæ lacte, quaſi modo genitos infantes enutrit, atque ad pueriles tricas pro Puerorum utilitate deſcendere non dedignatur. Hic eſt ille Epiſcopus, quem honoribus, qui Beatis debentur, nunc primum proſequimur, itaque nos, quod majores noſtri futurum pro certo ſperarunt, fortunate beateque conſecuti ſumus. Nonne in rei eventu, quæ longe lateque ſinceram ſolidamque animi oblectationem diſſeminavit, majus quam pro virili parte gaudium debet eſſe noſtrum? Sed ne avertamus oculos a Gregorio in Seminario verſante, ubi tam frequens erat, ut Epiſcopalem Sedem huc tranſtuliſſe videretur, cui illam dederat dignitas, iſtam amor. Qui vero avertas oculos a tam dulci ſpectaculo hominis divinæ gloriæ amore flagrantis, de pietatis incremento admirabilem in modum ſolliciti? Cum modo quotidianæ rerum divinarum commentationi, ad quam facile obeundam certas præceptiones ipſe tradiderat, Alumnis vacantibus adeſt, & quem quiſque fructum cæperit, ſedulo exquirit; modo Angelorum panem, illum panem, quo cum veſceretur, quaſi igni e pectore exæſtuante ejus accenſa facies ſcintillas emittere videbatur, ſuamet manu, (o rem non ſine dulciſſimis lacrymis commemorandam!) ſuamet ipſe manu pueris diſtribuit; modo ad orandum, meditandumque mane, ad nocturnas preces, atque intimum ſenſum diſcutiendum veſpere, om-

nium

nium primus, ut aliis esset exemplo, in locum, quem Asceterium dicimus, se se confert. Non raro enim hic dies, noctesque agitabat; & ne quid temporis inutiliter laberetur, accumbenti, neque enim dicam vescenti (tanta erat ciborum, & quidem plebejorum parcitas) illud pabulum gratissimum erat, ut quæstiones de rebus morum, aut e Sacris litteris deprompta agitarentur, quo & quantum quisque scientiæ in suo fundo haberet, deprehenderet, & ubi solum esset aliquid aridum, tanquam *imbres mitteret eloquia sapientiæ suæ*. Vidistis adhuc Pastorem, vidistis Horti cultorem, videte nunc paullisper agri messorem, & quia bis quotannis colligendis fructibus operam dabat, si vultis etiam vinitorem. Generalibus igitur Adolescentum examinibus, cæteris omissis, quanquam non omissis, sed pro sua vigilantia expeditus curis, ipse assiduus præerat, de uniuscujusque ingenio, & progressu experimentum facturus; & quanta animadversione horas perstabat sedens interrogantes, & respondentes audiendo! ut illum ne tantillum quidem temporis alio mentis cogitationem avertere manifeste appareret: nisi si quando pro consuetudine quidquid ageret, cogitaretve ad divinam gloriam referendi, extra sensus in Deum, unicum amorem suum, quasi furtim abriperetur. Quia tamen agebat, quod agendum, animo, sive animi ea facultate, quæ voluntas dicitur, a bonorum omnium Auctore nunquam abstracta, ad se, & ad negotium præsens cito redibat. Nec audiebat modo, sed ut quanti quisque esset intus & in cute cognosceret, interrogabat tanta, non ostentatione, quod studiosissime vitabat, sed præstantia doctrinæ quod vere inerat, ut Doctorum Doctor judicaretur. Vidisses Villicum in ventilando, cernendo, cribrando, metendo occupatissimum, ut quanta colligeretur frugum copia, & an sementi responderet messis, intelli-

telligeret: Vidisses maturescentibus fructibus mirifice delectari, & cum aviditate maturos seponere, qui aliorum usibus inservirent. Sed quem in Academia vidisses, in Templo collocatum jam modo vidisses, a Cathedra ad Aram translatum, & qui brevi abire solebat in via dilecti sui, nunc in ejus sinu æternum conquiescit, quique nos doctrinæ suæ ubertate lactabat, eum suis precibus meritisque cælestium donorum nectar ad nos demittere jam antea credebamus, nunc certa fide comperimus. Lætitiæ nostræ quis possit esse modus, dicite Vos, per fidem vestram, dicite. At redeamus ad amantissimum adhuc Patremfamilias. Optime noverat arcum semper intendi non oportere: cessandum aliquando ab opere, quo possit utilius urgeri. Æquissimus Pater non abnuebat. Sed nunquam major (Ricchinii, quoniam tam polite de Barbadico scripsit, ut in rebus Ecclesiasticis latine scribendis, proponi, meo quidem judicio, possit, velut exemplar, verba ipsissima libet pro re nata honoris gratia referre)
„ nunquam major ejus animum cura pulsabat, quam
„ cum Autumnalibus feriis e Seminario, & Urbe
„ facta esset Alumnis discedendi potestas. Timebat
„ enim vero, ne sub liberiore cælo, remissione di-
„ sciplinæ, juvenili licentiæ laxarentur habenæ, ne
„ qua labes hæreret moribus, ne studiis torpor, &
„ languor pietati. Rus itaque concessuros Diœcesa-
„ nis Pastoribus, & Regionis Vicariis veluti caris-
„ sima Ecclesiæ suæ pignora peramanter commen-
„ dabat, ut eorum consuetudinem sedulo observa-
„ rent, caverentque ne a susceptis institutionibus
„ vel minimum deflecterent, atque aberrarent; cu-
„ rarent in primis ut Ecclesiasticam Catechesim,
„ & Sacramenta frequenter obirent, Laicorum ac
„ Feminarum consortia vitarent, in incessu demum,
„ habitu, statu, ac cæteris actibus suis nihil admit-

„ te-

„ terent, quod ab Ecclesiastica honestate, gravitate„ que abhorreret. “ Hæc Ricchinius. Satis mihi videbar dixisse, si Gregorium Seminariensium Patrem appellassem. Verum quæ majore prosequitur anxietate mater abeuntem filium, aut magis sollicita quaque eunti pericula timet, aut magis officiosa moras facientem quorumcumque potest tutelæ concredit? quamquam non raro evenit, ut mater melioris conditionis futura, pro natura ad commoditatem, atque excellentiam prona, fortunæ suæ filios posthabeat: & si quæ sua forte contentæ esse malint quam illos deserere, ecqua Mater, ne a filiis procul viveret, tantas opes, tantamque dignitatem repudiavit, quantam Barbadicus, ne abesset a nobis, (quid dicam?) plus quam filiis? Non semel, sed iterum, ac præsertim tertio oblatam, atque occurrentem sibi summam, & unam in terris Deo proximam dignitatem propulsavit; immo perdiu adnitentibus obfirmata sententia suffragatoribus ad Summum Ecclesiæ imperium Barbadicum exposcentibus, omnes vires intendit, omnemque lapidem movit, ut aditum sibi omnem ad celsissimum solium illud obstrueret. Mirentur alii signa quæ fecit, mirentur profusam in pauperes liberalitatem, in adversarios beneficentiam, in se asperitatem; mirentur Pastoralem sollicitudinem, Religionis cultum, doctrinam, sapientiam; mirentur miranda omnia (ecquid enim Gregorio defuit, quod in sanctissimo Antistite possit esse admirandum?) ego nihil ita miror, quam gloriam illam, & honorem calcare potuisse. Cum autem reputo Seminarii præcipue amore, præcipue, inquam; heroicam enim ejus virtutem, quam dicunt, *Humilitatem*, satis novi; sed præcipue Seminariensium amore ab illa sede revocatum esse cum reputo, idque illi ad obtinendum inter Beatos locum, recusato loco longe sublimiorem, im-

immo nisi injuria comparandum, facilius iter expedivisse cum video, propemodum mihi succenseo verba ad profundendam, quanta quanta perfunditur animus, voluptatem non habenti. Vos autem finite pace vestra iterum a me dici, ornatissimi cives mei; ab illo supremo dignitatis, & amplitudinis gradu Barbadicum Seminarium præcipue revocavit, Seminarium, Barbadici cordis Cor. Fortunatissima Patavina Provincia Barbadico fuisti cor. Noluit manere Romæ, quia non poterat a corde divelli, aut potius cor a se divellere non poterat. Hinc tanta constantia in subterfugiendo, defugiendoque illo humanæ dignitatis fastigio: hinc ille ex vero animi sensu expressæ assidue ad Deum preces ut Fautoribus ad se Pontificem Max. creandum conspirantibus aliam mentem iniiceret; hinc alio renuntiato Pontifice, illa hominis e Comitiis, ceu e tempestatis fluctibus emergentis tranquillitas: hinc cum ægre in Urbe ineluctabili auctoritate retineretur, illa impatiens ad Gregem suum redeundi cupiditas. Quid tamen tute tibi volebas, nostrum Pater, mater, nutrix, Magister, Princeps, omnia, hac inusitata, dicendi forma, hac plenissima sententiarum sententia, cum Seminarium dictitares tui cordis cor? An, cum tibi pro corde Patavinus Grex esset, quia omnium carissimus, Seminarium erat tui cordis cor, quia quantum præ omnibus Patavinam Ecclesiam amabas, tantum Seminarium Patavinæ Ecclesiæ portionem præ reliquis ejusdem partibus diligebas? Ita sane. Nam cum in universa Provinciæ suæ administratione pro humanarum virium natura, ex assiduis, immensisque laboribus tandem delassaretur, eas sibi a gravissimis occupationibus sumebat ferias, ita se ab illa defatigatione recipiebat, reficiebatque, ut in Seminario totus esset, perinde ac si nihil egisset aliud, aliud sibi nihil agendum foret; dicere so-

li-

lito, quam alii animi relaxationem ex otio experiuntur, eam ſe in Seminariſtico negotio reperire. Cur non ſentiretur labor ecquid in cauſa erat, niſi amor? Ita tamen erat amor iſte præcipuus, ut minime eſſet reliquis ovibus invidendus. Etenim Seminarii bonum non hiſce parietibus continetur, ſed ad univerſam Diœceſim redundat; quemadmodum in pectore animantis cor non ideo eſt, ut unum ſibi ſufficiat, ſed ut toti corpori vitam largiatur. Et quidem quot viri doctrina, & religione Principes ad humanarum, divinarumque rerum cognitionem late fundendam ex hoc loco, tanquam ex equo Trojano prodierint, malo a vobis, qui ſatis noſtis, ſponte ſubiici, quam a me quoquo modo commemorari. Hunc itaque locum Barbadicus tanquam cor Gregis ſua vita carioris reſpiciebat; & quia Gregem aliquando ſibi ademptum iri cogitabat, ad eam jacturam faciendam, quam ferre non potuit ſummum Imperii gradum aſcenſurus, æquo animo ſe comparabat, humanæ conditioni divinæque voluntati obtemperaturus, contentus ſatis, quia Seminario ſuperſtite, cor, vitæ fons, non erat dilectiſſimo Gregi ſuo defuturum. *Sicut Sol refulgens*, (aptiſſimum eſt Simonis Sacerdotis magni, Oniæ filii præconium) *Sicut Sol refulgens*, *ſic iſte effulſit in Templo Dei*, qui ſuæ lucis radios, ſuæ flammæ ardores ſuper noſtras haſce Patavinas terras cum uberrimo fructu diffundebat; Sol tamen aliquando perpetua nube obtegendus. Nihilominus, quemodmodum Sol, obtecto nubibus cælo, lucem infra nubes quidem proferre deſinit, attamen in orbe ſuo fulgoris, atque ardoris fontem, virtutemque continet, ita Gregorius hoc in loco fonticulum cuſtodiebat claritatis, opportune diſpertiendæ, ubi clauſis ipſe oculis Provinciæ ſuæ illuceſcere deſiiſſet. Eo pervenit Oratio mea, ubi libenter aliis dicendi locum concederem.

Cur

Cur tamen detraham meritæ Patris laudi, veritus ne quid Filiis jactantiæ afferam? Tota ista Gregorii laus est, qui hic opimum & fertilem agrum diligenter subegit, atque excoluit, ubi plantæ utilissimæ aliæ aliis succrescerent, aliæ ex aliis continenter propagarentur, non ad suæ unius vineæ utilitatem. Vastus enim, atque immensus Viri animus non hujus quantumvis latæ Diœcesis finibus arctabatur. Quid spectaret satis ostendit, cum Hibernos, Gallos, Britannos hoc in loco suis sumtibus aleret, ut hic edocti, tum ad Patriam reversi Fidem Catholicam validius tuerentur; Ostendit cum Orientales linguas incredibili labore, & impensa huc induxit, ut hinc existerent, qui earum callidi *Propagandæ Fidei* Præsidibus Romæ se se offerrent, quod fecere ex iis nonnulli, ad Satanæ tenebras in Orientis regionibus late grassantes, Christianæ veritatis luce disiiciendas; ostendit, cum Typographiam satis magnam ingenti ære suo fundavit, in qua perutiles libri ederentur, ad doctrinæ, Religionisque incrementum. Quibus factis tanta hic locus cito potitus est nominis celebritate, ut ab aliarum Provinciarum Episcopis, nec Italicarum modo, sed a Galliis usque missi ad nos fuerint, qui rationem regiminis intelligerent, & in sua Seminaria traducerent. Quod si plurimi institutam a Barbadico studiorum, ac Disciplinæ formam e scriptis desumserunt, non pauciores, & fortasse plures per nostros homines ad se transferendam curarunt. Exultare mea posset Oratio enarrando, quanto ubique fuerint ad litterarum, pietatisque laudem, emolumento e nostris ii plurimi, qui non exiguis semper invitati, & expetiti præmiis e Barbadici segete optima desumta semina, hinc alio deducti, hac & illac spargere non destiterunt, si quam vera, tam probanda propria laus esset. En quantus animus Barbadico fuerit, qui Pata-

tavi-

tavinæ in Ecclesiæ sinu Seminarium cum posuit, non Gregis sui modo, sed alienarum quoque Ovium, ac, si potuisset, omnium Gentium utilitatem sibi proposuit. Tantus est is, quo Auctore gloriamur. Eo vero ad divinos in terris honores sublato, quanta nobis facta est accessio gloriæ! Hujusmodi decus unum adhuc, quod quidem noverim, Mediolanense Seminarium jactavit. Jam quantum illud Borromæo, tantum hoc se se licet efferat Barromæi ad vivum exprimente imaginem Barbadico. O diem lætabilem hunc, non lapillo, sed auro signandum! O præclarum, nobilemque triumphum! O fortunatos nos! fortunatiores majoribus nostris iis ipsis, quibus Barbadici præsentia frui licuit. Felices illi, quibus Patrem verba vitæ super mel & favum dulciora fundentem contigit suismet auribus audire! Nos, illa cum legimus documenta, quæ scripto nobis reliquit, intelligimus non mortalem in terris, sed perpetuo in Cælis beate viventem nobiscum loqui. Ejus adspectus cum morum suavitate temperans majestatem, perpetua illa animi æquabilitas, atque tranquillitas, ex diffusa in ejus corde per spiritum Sanctum charitate efflorescens, miram quamdam ex ore, oculis, vultu, gestu emiserit jucunditatem, quæ spectantes incredibiliter exhilararet. Si illorum oculos trahebat dulcis majestas, perstringit nostros divinus fulgor, cum illum gloriæ radiis totum circumdatum mente conspicimus. Illi tamen laborantem videbant, nos laborum præmio, & quo præmio? fruentem: Nec poterant illi non aliquid aliquando tristitiæ suscipere; quoties nempe gratum animum aut verbis, aut scriptis, aut aliis monumentis ostendere prohibebantur, nacti hominem quam dignum laudibus tam ab omni laude abhorrentem: nobis affertur illa tristitia, quod non satis pro meritis hominem, cum maxime liceat laudare

possimus. Illud vero majoribus nostris longe acerbissimum, cum sanctum hominem tam bene de omnibus merentem molestiis, atque adeo obtrectationibus, maledictis, calumniis sæpissime vexari viderent, præstat missum facere; quoniam quia *acceptus erat Deo necesse fuit, ut tentatio probaret illum;* eumque hæc ipsa tentatio per arduum virtutis iter, ad sublime sanctitatis fastigium manu veluti duxit, & cælestibus tandem in terra honoribus dignum reddidit; ex quo tantus in nos jucunditatis fructus redundat, ut eum sentire totum possimus, verbis consequi vix ullam partem possimus. Felices utcumque illi, quibus vitam, moresque hominis ex propinquo intuentibus, verba, & acta humanissima, eaque omnia sanctimoniam admirabilem redolentia excipientibus suavis quidam odor afflaretur necesse fuit, qui, nisi consuetudine, atque convictu, quasi fricatu, percipi non potest: Fruebantur tamen illi bono non dato, sed commodato, quod certo sciebant aliquando sibi defuturum. Defuit. Fletus, gemitus, ejulatus, ululatus, comploratus consecutos injurii simus felicitati nostræ si commemoremus. Non contigit nobis ope sensuum tuo, Pater, perpetuo future Pater, amabili adspectu perfrui, vocibusque tuis charitate plus quam patria redundantibus excitari. At certissima fides erigit aures, oculosque mentis, quibus Te ex alto in intimos sensus illabentem sentimus, quibus Carolo, & Philippo, quos dedisti Patronos, additum Te æterna felicitate fruentem suspicimus. Quantum sperare jubes, ex Parente factus Patronus, ubi Te duraturas æternum Bonitatis divitias consecuto, nactus est centrum suum tuus Paternus amor, & ingressa est Potestatis Oceanum tua benefaciendi voluntas. Omnibus interim lætitiis læti sumus, & semper erimus ex hoc torrente, sed nunquam exhauriendo voluptatis tuæ, & quia augere tibi illam

non

non possumus, agemus pro viribus omnia, quæ agi cum in Terris esses, concupiscenti animo flagitabas, quæque acta ubi fuerant, inexplicabili Te voluptate perfundebant. Te vero, Clemens, totius Christiani Imperii moderator, & arbiter, quibus verbis alloquar, Te fortunæ, Te gloriæ, Te gaudii nostri fontem, atque originem? Tu in hac Patavina, olim Barbadici Sede collocatus, per multos annos erga nos Patris vices gessisti, & ædibus nostris magnifice amplificandis, & nostris Barbadici legibus ad bonarum Artium, & Christianarum, Ecclesiasticarumque virtutum culturam fidelissime custodiendis; Tu ad longe altiora vocatus eum nobis loco tuo dedisti Virum, cujus paterna sollicitudine, studio, benevolentia absentiæ tuæ dolorem non sentiremus; cum interea nobis eximium addas decus, atque ornamentum illud, ut qui noster peculiaris princeps eras, meritis tuis modo sis universi Christiani Orbis Princeps. Eam ob rem, si licet opinari, unus rerum omnium dominator Dominus, qui Barbadici precibus, ne ad eum, quem Tu possides, locum eveheretur, non perseveranter abnuit, refutavit constanter tuas, ut Barbadici nomen in Beatorum album referres: quo facto eam nobis lætitiam perpetuam attulisti, ut & ipsi insatiabili oblectatione nobis gaudeamus, & Institutori nostro Beatitudinem lætanti ac percito animo gratulemur, & ex utroque habeant alii felicitatem nobis jure gratulari. Quas igitur Tibi pro tantis meritis habebimus gratias? Cum ad illam nullos habituram terminos Beatitatem, qua Barbadicus fruitur, ipse quoque ingentes gradus per Te facias, optamus Tibi, & enixis a Deo precibus petimus longissimum vitæ spatium, quo, augescentibus in dies meritis, aliquando, sero tamen, Barbadico consociatus, parem cum ipso immortalitatis coronam consequaris. Videmur ne vo-

bis, Auditores, lætandi causam nos aliis habere majorem? Damnandi profecto essemus, ac tantum non devovendi diris, si ingentem quantumvis omnium lætitiam nostra non longe multumque superaret. Efferantur igitur, gestiant, exultent lætitiis omnibus Musæ nostræ, hic sedem per Gregorium nactæ, quæ si dantes omen in posterum numerorum varietate levissimum specimen dabunt, reputate Vos, pro vestra sapientia, Aud. Musarum esse, sicut Cantorum, atque Fidicinum, antequam temperatis acutis sonis cum gravioribus ad harmoniam canant, submissis vocibus, modisque paucis proludere. Dixi.

Habita est anno 1762. Mense Novembri.
De horum carminum auctoribus vide Præf. ad Lectorem.

GREGORIO BARBADICO

Beatorum Fastis adscripto

Theologiæ Musa Præses exultat.

HInc procul, o Fontes Aganippidos Hippocrenes,
Hinc procul, o Pindi juga Sacra, Heliconis & alta
Culmina: proh humiles mihi nunc terræque jacentes!
Altius ire paro, Cæli per inane volatu,
Præpetibusque lubens scindentibus aera pennis,
Almæ ad cælestem Sionis deferor urbem.
Ecce propinquanti Stellis jam cominus aurea
Tecta micant æternæ Urbis, radiataque baccis
Limina, & ardentes stellato cardine postes:
Jam stratas adamante vias, opibusque superbis
Mœnia conspicio; rutilis variata pyropis
Atria collucent, gemmatis nixa columnis.
Jamque hilari spatia ingredior vastissima gressu,
Dulcis ubi æternum perflat sine nubibus aer,
Et circum fragrans suaves emittit odores.

Hi-

Hic mihi spiritibus mixtus cælestibus alma
Undique luce nitens, se se spectabilis offert,
Qui pulchram, dum vita fuit, mihi tradidit Ædem,
Acri ubi mente potens Artes consevit honestas.
Plausus ubique ingens, & multisono modulatu,
Gens variis operata choris, nova Carmina pangit.
Fulgentes dum mille chori candore nivali,
Aut roseo circum plexi diademate crines,
Gregorio adplaudunt festivis vocibus omnes,
Interea lustrare datur mihi singula visu,
Quæ, mihi Gregorii dum jussa capessere fas est,
Mira arcana Dei puerorum instillo per aures.
At clare ut videam, liceatque ut visa referre,
Æternum sine labe micans mea proluit ignis
Labra, sacro de fonte liquor mea lumina terget.
Hic Pulchri, Verique simul, mirabile visu!
Immensique Boni fas diam cernere formam.
Qui mare, qui Terras, qui Cælum numine complet,
Cuncta movens, stabilisque manens, qui prodigus implet,
Et satiat sensus animorum, & fonte perenni,
Fonte voluptatum non deficiente Beatos
Felix ipse beat, cælesti & nectare pascit,
Ipse videndus adest: patet hic Natura Creatrix,
Et patet ex nihilo ut cæpit splendescere mundus,
Atque ut immenso soboles immensa Parente
Effluit, & simili Genitor sibi pignore gaudet.
Scilicet in se aciem dum colligit, & sua cernit
Ora Pater, fat nota sibi, sat prompta videri,
Et propriam visu faciem pulcherrimus haurit,
Nec se se adspectu cessat lustrare profundo,
Illius arcana finisque & originis expers
Filius egreditur mente, æqualis Genitori,
Omnipotens æque, sapiens, atque optimus æque.
En Patris, & Nati cerno concurrere vultus:
En Pater, & Soboles alternæ incendia flammæ
Miscet, & alternis redamando expirat Amorem

Et Patris, & Nati similem, mediumque per ambos
Currentem, Natoque Patrem, Natumque Parenti,
Fœdere nectentem, spirabile Numen Amoris;
Æquævum, immensum, natura dives eadem,
Ambobus geniale bonum Natoque Patrique.
Nec quia tam pleno toties exuberat æstu
Sinceri natura boni, tranquilla voluptas,
Numinis ubertas, augetur turba Deorum.
Unum numen idem tribus est, tribus una potestas,
Una tribus natura Dei, tribus una voluntas.
Tum parte ex alia flammis rutilantibus Orbem,
Atque invisa viris mortalibus abdita cerno:
Patris ut æterni Natus de lumine lumen
Descendens de Patre Deus, nec honoribus illi
Nec Regni splendore minor demissus ab alto
Humanum corpus, mortales corporis artus
Induerit sponte, & nostris habitarit in oris,
Pauperis & casto latitarit carcere matris,
Coram prospicio. Mirum! fert pondera mater
Auctorem complexa suum, gestatur in alvo
Materni Faber ipse sinus; pars arctior orbis
Numen habet; capiturque loco qui laxior omni
Cuncta capit. Deus, ecce Deus, lux maxima mundi,
Obscura regione latet, sedemque requirit
Mens immensa vigens, cunctis antiquior annis
Nascitur, atque sui primordia supputat ævi.
Vos quoque cerno, Dei celeres fidique ministri:
Omnibus æthereum formæ decus, omnibus ardor
Igneus, & volucres pennis pernicibus alæ,
Præcingensque caput radiatæ flamma coronæ,
Gaudia, divinusque favor, succensus amoris
Æstus, & æternæ felicia pignora vitæ,
Oraque supremum cantu resonantia Numen.
Vos hæc, vos doceo, Juvenes: at lumine claro
Barbadicus ovans videt hæc, visisque potitur.
Proh nunc quanta meum pertentant gaudia pectus!
San-

Sanctorum quoque grande decus, dios & honores
Una ego Vos doceo. Reboans mea buccina cantu,
Sublimi cantu, referet venerabile nomen;
Atque his egrediens angustis finibus, omnes
Gentes, Barbadice, tuas educet ad Aras.

Ethices Musa.

Cedite, quæ colitis sacra hæc loca, cedite, Musæ,
Gaudeo Gregorii maxima pars animæ.
Cedite, vos inter Regina incedo, quot estis
Omnes, sub nostro vivitis imperio.
Cedite, privata hic vos ævum degitis umbra;
Omnibus assidue limina nostra patent.
Cedite, Gregorius (tanta est mea gloria) quondam
Ipse Artes proprio tradidit ore meas.
Cedite; namque illum virtutibus immortalem
Tandem Ego Divorum cœtibus inserui.

Jurisprudentiæ Musa.

Astræa quondam me tuli in Æthera,
Terris relictis, criminibus Virum;
Me Sanctus in Terras relictas
Gregorius revocavit astris,
Sedesque tutas hoc dedit in loco:
Hic quando rectum justitiæ decus,
Legesque docto ex fonte cordis
Ipse sui eliciens locavit.
Juris coruscis illum ego honoribus,
Rectique puro lumine fulgidum
Optata tandem vexi ad astra,
Addidi & Ordinibus Beatis.
Magnus Sacerdos, qui triplici caput
Cinctus corona sceptra Petri tenet,
Nutuque divino gubernat,
Gregorium revocavit astris

Terras in imas. O pueri intimo
Ex corde tandem promite gaudia,
En vester est, fulgetque vestris
Gregorius venerandus Aris.

Philosophiæ Musa.

Proh quantum niteo! qui me pulcherrimus ambit
Collucens rutilo lumine ubique decor!
Et color, & placeo; sed me vix noverit ullus,
Quantumvis formæ flagret amore meæ.
Quam pulchra incedam innato spectanda decore,
Cum paucis didicit noscere Gregorius.
Me potuit lynceo pervadere lumine, & intus
Auctorem docta mente videre Deum.
Spectat humum, variisque ornatum fructibus orbem;
Divinum interius gliscere cernit opus.
Oceanum spectat, spectat quæ ad littora mittit
Oceanus, diam prospicit ille manum.
Personat horrendis agitatus flatibus aer;
Ille Creatorem providet usque suum.
Tam bene compositas volvens sua lumina Terræ
Per partes, vasti per freta tanta maris,
Crescite, clamabat, redivivæ crescite formæ;
Per vos æterni vis micet Artificis.
Pandite formosæ, formosum pandite lumen,
Luminis immensi semina pulchra micent.
O quæ per ramos hinc luditis hincque volucres,
Et liquido blandum funditis ore sonum,
Agnosco cantus, dulcissima carmina nosco;
Factori argutum ducitis ore melos.
Auræ, quæ levibus percurritis aera pennis,
Et strepitis grato per nemora alta sono,
Una Austerque Eurusque fremens & lene susurrans
Jucundi Zephyri spiritus, & Boreas,
Vos superum canitis Dominum, vos flamine vestro
Excelsi laudes dicitis Artificis,

Lam-

Lampades auratæ, fulgentia ſidera Cæli
Et vaga, & in certis condita limitibus,
Vos quoque adorando vos carmina læta Tonanti
Dicitis, atque hilares ducitis alta choros.
Sive alto Oceano deducis in aera currus,
Seu vaſto pelagi gurgite condis equos,
Das laudes, das digna tuo Sol carmina Regi,
Divinumque jubar Lux tua ſola refert.
Dives opum Tellus, & divitis ubere glebæ,
Exornata tuum floribus alma ſinum,
Fructibus exundans quæ te altam hic tollis, & illic
Ima jaces, condens antra, ſinus, latebras,
Tu quoque ſubridens ridenti blandula vultu,
Ex imo emittis carmina dia ſinu.
Velivolum tandem mare, fluctus, flumina, fontes,
Piſces, bruta, & oves, arbor, & herba, & apes,
Cuncta Creatoris mihi ſacrum afflatis amorem,
Cuncta mihi Dominum dicitis eſſe Deum.
Gregorii fuit iſta mei ſtudioſa voluntas,
Sic noſtrum potuit noſcere mente decus.
Nox erat, & puro radiabant ſidera cælo:
Tolle oculos dixi, Gregori, ad alta tuos.
Aſpicis, ut rutilum demittant ſidera lumen,
Altus ut oſtentat lucida ſigna Polus?
Hæc ego: at is palmas ad cælum tendit utraſque,
Sentit & ardentes intima ad oſſa faces.
Exardet, penituſque ſacro jam percitus igni,
O quam, clamabat, pulchrius intus erit!
Unum inhians Deum humo ſe ſe cum corpore tollit,
Et ſæpe æthereas tentat mire vias.
O quater, & quoties non eſt numerare, beatum
Te! qui nunc pulchrum quod latet intus, habes.

Hiſto-

Historiæ Sacræ Musa.

Mambre, Gad, Seboim, Botrique valles,
Carmeli, Libani, Thaborque colles,
Jordanis, Siloe, Geonque fontes,
Et vos, o Citharæ, fidesque Vatum,
Vatum, queis licuit futura sæclis
Semper veridica explicare lingua,
Gaudete, & nimis ac nimis venustam,
Signandam niveis diem lapillis,
Qua nondum melior, beatiorque
Exorta est, agite hanc diem canamus.
Proh tellus Chanaam misella! fontes
Haud pellucidulis aquis susurrant,
Sed pleni horrifica silent arena;
Exuti platanis, cedrisque colles;
Desertæ arboribus jacentque valles;
Nec Tellus resonat beata cantu.
Illam deserui, meosque honores
Tutantur populi beatiores.
Sed me Gregorius magis benigno,
Dux, Auctorque dedit sedere regno,
Ubi delicias meas locavi.
Hic memet beo: rivulos nitentes,
Colles frugiferos, coluntque valles
Hic Vatum mihi filii meorum.
Salve ergo mihi ter, quaterque fausta
Salve sancta dies: novosque plausus
Valles frigidulæ, editique colles,
Dent plausus hilares novosque fontes.
Mi quæ pectoribus salit voluptas!
Quod qui me hoc dederit sedere regno,
Promissa sedeat Beatus ora.

Histo-

Historiæ Ecclesiasticæ Musa.

Illa ego, quæ quondam monumentis eruta priscis
Sanctorum potui promere facta Patrum;
Pontificum decora alta æternis tradere chartis,
Queis pulchrum Mater percipit alma decus,
Sancta hominum Mater, Christi Sponsa, & rapit unde
Exemplum fidis utile filiolis,
Lætitiæ ipsa nova perfundor nectare; namque
Barbadice, decus præsidiumque meum,
Qui nunc æternum cælesti in pace quiescis,
Ampla mihi fueris Tu seges Historiæ.

Matheseos Musa.

Ipsa jactabam levis Archimedem,
Qui nova miram dedit arte sphæram,
Plurium certis ubi circulorum
Motibus ibat
Ordinem servans simulatus Orbis,
Lunaque adspectu vario redibat,
Atque mentitus proprios agebat
Signifer annos.
Ipsa jactabam Samium renatum.
Ille terrenis, superisque rebus,
Esse concentum, & numeros docebat,
Harmoniamque;
Qua simul se se ratione servent
Corpora interno sociata nexu,
Et suis circum numeris agatur
Machina Mundi.
Intimos at Gregorius coercens,
Et regens recta ratione motus,
Machinam movit, melius suammet
Intus & extra,

Ille

Ille virtutum reperit sagaci
Mente concentum, superum peritus
Cælites aures retinere, cantu
Gratius omni.
Cedite, o Prisci, decus hoc Recenti:
Nec mihi posthac, memorate vestrum
Vitreum mundum, numerosve inanes,
Harmoniamque.

Linguarum Orientalium Musa.

Ὑψηλοῦ ἔλειψα πάλαι καλὰ ἄλσεα Σιών,
Νεύματι Γρηγορίου τοῖς γε μολοῦσα τόποις.
Καὶ δὴ Γρηγορίου φήμην μὲν πᾶσαν ἐπ' αἶαν
Ἐσκίδνην, πολλοῖς ὕψι βοῶσα λόγοις.
Αὐτὰρ τιμὴ ἔην· νῦν δ' Οὐλύμποιο θρόνοισιν,
Αὐτὸς παμφανόων ἐστὶν ἔμοιγε κλέος.

Deserui excelsi quondam nemora inclyta Sion;
Gregorii hunc nutu jussa subire locum.
Gregorii nomen, fama resonante, per Orbem
Diffudi, late multiloquo ore tonans.
Huic decus ipsa fui; nunc Cæli sedibus altis
Undique collucens est decus ipse mihi.

Ecloga inter Corydonem & Melibæum.

Corydon pro Eloquentia; Melibæus pro Poesi.

C. *Sat lacrymis, Melibæ, datum, justoque dolori;*
Nostra satis longo rorarunt lumina fletu.
Vos coryli nobis, nobis vos flumina testes,
Cum flebam extinctum crudeli funere Daphnin,
Daphnin per silvas, Daphin super æthera notum.
Me sæpe oblitum sera decedere nocti
Sol abiens vidit plorantem, vidit & idem

Sol

Sol rediens longos ducentem pectore questus.
Qualis frondiferos lustrans orbata recessus,
Quæritat huc illuc amissum bucula fœtum;
Illum per silvas, illum per inhospita saxa,
Et quo raptat amor, mater sequiturque vocatque,
Et natum silvas, natum gemebunda videtur
Antra suum, montesque amissum exposcere natum;
Sic ego crudeli transfixus vulnere pectus,
Plorabam Daphnin, Daphnin per rura vocabam.
At nunc & lacrymis finis, finisque querelis.

M. *Certe luctifico nunquam mea tibia versu*
Cessavit, nunquam cessarunt lumina fletu.
Nam postquam nobis rapuit mors invida Daphnin,
Semper ego nemorum secessus inter opacos
Solus amem miseram lacrymis consumere vitam.
Ceu Turtur dulces mœrens sua pignora fœtus,
Infida traxit, quos durus ab arbore Pastor;
Non illam irrigui fontes, non roscida prata,
Stellative novis delectant floribus agri;
Flet noctem, atque diem (posses cognoscere matrem)
Et miserabilibus late loca questibus implet.
Sæpe dolore amens, curaque infixus acerba,
Ad circumstantes vertens mea brachia silvas,
Ceu possent silvæ raptum mihi reddere Daphnin,
Daphnida clamabam; sed sola in montibus imis,
Ceu fletus nostri, nostri miserata doloris,
Echo reflexo repetebat nomine Daphnin.
At quænam est, Corydon, ponendi causa doloris?

C. *Jam Daphnis cæli superans revolubilis orbes,*
Purpurei rutilo Solis ceu tectus amictu,
Et fulgens late per pulchra volumina Cæli
Enavit, summoque volans successit Olympo,
Unde obitus varios astrorum cernit, & ortus,
Sub pedibusque videt nubes, & sidera, & imbres,
Unde novum nobis lucescit sidus ab alto.

M. *Donis ergo manus ornemus, tempora sertis,*

Ja-

Jactatisque vias velemus floribus, omnis,
Omnis nunc resonet festo vicinia cantu;
Omnes nunc læto dicamus carmine Daphnin:
Daphnis erat nostri decus & solatia Ruris,
Daphnis amet nostro tantum nunc carmine dici:
Daphnida si canimus, sint carmina Daphnide digna.
C. *Palmiferi colles, læti consurgite colles,*
Vos silvæ ramis capita accurvate reflexis;
Vos etiam fontes, quos olim fletibus auxi,
Nunc strepite, & vestros per saxa iterate susurros,
Daphnida nunc canimus, respondent Daphnida colles,
Daphnin Pastores, & silvæ dicite Daphnin.
M. *Silva o sola meis quæ quondam fletibus apta*
Audisti gemitus, & nostras sæpe querelas,
Dum flerem nostro subreptum Daphnida Ruri,
Nunc læto circum resonabis carmine, lætas
Nunc repetes cordis testantes gaudia voces.
Tu quoque, quæ nostri dudum comes una doloris,
Echo reflexas geminabas mœsta querelas,
Nunc lætos repetes plausus, & carmina læta.
Daphnin Pastores, & silvæ dicite Daphnin.
C. *Hanc Silvam, magnum quæ se se plurima in orbem*
Circumagit, Daphnis, dum viveret, ipse tenebat:
In medio Silvæ pulchrum hunc conseverat hortum,
Et variis illum plantis ditavit: & omnis
Ridet flore suo revirescens planta quotannis.
Ipse novos videas semper turgescere ramos,
Et multos curva pendere ex arbore fructus.
M. *Hunc hortum Daphnis sibi sedulus ipse colebat,*
Gaudebatque suas persæpe invisere plantas,
Illi dulcis erat labor iste, hæc grata voluptas.
Cum vero Autumnus pomis ornatus, & uvis
Tempora, purpureum pulchris caput extulit arvis,
Tunc lætus tantorum operum lætusque laborum,
Hos plenis fructus manibus tandem ipse legebat.
C. *Horto autem in medio duo fontes murmure blando*

Cur-

Currentes, molli dulcique humore tenellas
Irrorant plantas, in fibras qui diffitus omnes,
Imbutos mira reddit dulcedine fructus,
Et pulchro varioque asperfos inde colore.
Daphnin Pastores, & silvæ dicite Daphnin.

M. *Aspicias illos serpenti ludere lympha.*
Hic multos miscent alternos orbibus orbes;
Hic varios agitant cursus, variosque recursus;
Usque adeo culto lætantur Daphnidis horto.
Daphnin Pastores, & silvæ dicite Daphnin.

C. *Qui bibit ex illo, sacro tum Numine plenus*
Ille, regens animos, blandis modo pectora dictis
Permulcet, modo terribili ceu fulmine linguæ
Deterret, modo sollicitat, modo temperat iras,
Nutantesque modo huc animos, modo pertrahit illuc,
Et quocumque volet, flectit, quacumque reflectit.

M. *Qui bibit ex isto, divina percitus aura,*
Jucundo fundit jam non sua carmina plectro,
Excelsis rigidas deducens montibus ornos,
Saxa movens, silvasque trahens unde unde sequentes,
Flexanimi raptas mira dulcedine cantus,
Et cursum revoluta suum obliviscitur unda.

C. *Indomitos cultu, & dictis formabat Agrestes;*
Pastores inter ponens certamina linguæ,
Victori, victoquæ dabat sua præmia Daphnis.

M. *Daphnis Pastores, & silvas Daphnis amabat;*
Ille dabat calamis animam, cantusque movebat,
Illi & erant calami, & cantus, & carmina curæ.

C. *Daphnis Pastores, & carmina Daphnis amabat:*
Sæpe etenim viridi prostratus margine ripæ,
Quam placidus vitrea lambebat rivulus unda,
Carmina gaudebat Pastorum audire, periti
Seu calamis essent, seu vocem inflectere cantu:
Daphnin Pastores, & silvæ dicite Daphnin.

M. *Quin etiam, pecudes donec per florea prata*
Tondebant tenero crescentia gramina morsu,
Dul-

Dulcia jucunda fundebat carmina voce.
O quam dulcis erat vox Daphnidis! ipsa ferarum,
Ipsa etiam poterant sensim mansuescere corda.
Daphnin Pastores, & silvæ dicite Daphnin.

C. *Est dulcis, qui mane novo delabitur, humor*
Roscidus, & placide sitientes excitat herbas,
Languidulum & flores tenerum caput inclinantes.
Est dulcis, molles facies ubi verna tepores
Rettulit, & roseo depinxit lumine campos;
Grata comes veris placidi levis aura Favoni,
Floriferis blande cum circum lusitat alis
Prata per, & variis depictos floribus hortos.
Dulcior at nostri fuerat vox Daphnidis: illa
Jucundo suavis mellis conspersa lepore,
Mira irrorabat victos dulcedine sensus.

M. *Nec fons lucidulus, qui roscida gramina lambens*
Somnifero strepit irriguus per saxa susurro,
Dulce viatori longo in sudore lavamen,
Tam placide suadet crepitanti murmure somnum,
Nec tam dulce canens viridi philomela sub umbra,
Jucundis Dryadum permulcet cantibus aures,
Cum vitreo teneras gemmantes rore per herbas,
Collucent rutili trepidantia lumina Solis,
Quam dulcis, quam blanda fuit vox Daphnidis; ipsa
Tangebat blando nutantia pectora sensu,
Dulcior ambrosia, & suavi mage nectare dulcis.

C. *Quantum se se effert inter viburna cupressus,*
Tantum Pastores Daphnis se se extulit inter.

M. *Ut pulchros flores superat rosa pulchra decore,*
Sic alios unus Daphnis superaverat omnes.

C. *Dum vivam ipse, canent semper mea carmina Daphnin,*
Silvasque & montes Daphnin resonare docebo.

M. *Dum volucres Cælum dum pisces æquora amabunt,*
Daphnidis æternas hæc dicet fistula laudes.

C. *Nunc tibi, Daphni, aras, tibi cernis surgere templa,*
Auratisque tholis ingentia munera pendent.


M.

M. *Jamque Arabes sua thura ferent, sua thura Sabæi;*
Aræ, Daphni, novo semper tibi thure calebunt.
C. *Hoc nemus, has valles, hæc flumina Daphnis amabat;*
Hoc nemus, has valles, hæc flumina respice Daphni.
M. *Has quoque dilectas quondam tibi respice plantas;*
Tu face ut in viridi pubescant arbore fructus.
C. *Tu face neu Soles illas, neu frigora lædant,*
Neu lædant imbres, neu sævo turbine grando;
Omnes nomen habent inscriptum in cortice, Daphnis.
M. *Nos quoque Pastores simus licet, aspice Daphni.*
Et Tu Pastor eras, Pastores respice Pastor;
Nobis numen eris, nostri Tu gloria Ruris.

Conclusio.

O qui per campos, formosaque frugibus arva,
Medoace hinc, illinc fœcundo laberis amne,
Altum attolle caput, magnos visurus honores.
Euganei colles, subjecti & collibus agri
Lætitia accincti, nunc o consurgite, læta
Nunc læta ingeminent resonantes carmina rupes,
Et Barbadicum tellus, atque insonet æther.
Salve o Cælicolis decus addite, gloria nostri
Magna Soli, salve o tua nomina compellabo,
Submissoque genu lætus tua numina poscam.
Tu nunc stelliferi rutilantia limina Cæli
Incolis, & celeres mundi septemplicis orbes.
Ut tua corporeis tandem mens libera vinclis,
Jam se se major, jam Numine læta reperto,
Exultans penitus se nunc effundit, & illo
Gaudens, optato felix requiescit amore!
Qualis qui variis erravit flexibus amnis
Prata per, & vernis halantes floribus agros,
Tandem defessas multis erroribus undas,
In pelagus magno procurrens impete defert,
Hic se se sistit, pelagoque potitur aperto.
Jam nunc Urbs Patavi, quam vivens ipse beasti,

Alme, tuo adſpectu, nunc & magis omnibus unam
Jucundam placidus propiori lumine cernis,
Thura tibi, tibi ſerta, tibi perſolvit honores.
Jamque tibi ſtatuent alii de marmore Templa,
Et pulchris pretioſa tholis tibi munera figent.
Ah Pater, alme Pater cæli e regione ſerena
Aſpice nos, Nati ſumus, ah precor inſere præſens
Pectoribus dulcem Patriæ cæleſtis amorem.
Parvi parva damus, tibi ſemper carmina grati
Solvemus, laudeſque tuas tollemus ad aſtra.
Noſtris interea votis aſſueſce vocari.



B. GRE-

B. GREGORIUS BARBADICUS

ALTER SUI TEMPORIS

D. CAROLUS BORROMÆUS.

ORATIO.

FIdem solvimus. Cum primum Gregorio Barbadico ad Beatorum venerationem paullo ante consecrato, exultantem animi nostri, gaudioque gestientem sensum publice significavimus, publice quoque professi sumus, expletis cæterorum animis in lætitiam, præconiaque effusis, voluptatem nostram nullo unquam tempore desituram, ejus laudes in omnem nos ætatem celebraturos. Æquum certe est nos, qui Barbadici beneficiis perpetuo fruimur, perpetuo memores esse beneficiorum. Licuerit aliis ventorum modo, qui in ipso ortu vehementissimi spirant, quo tamen longius feruntur, eo magis debilitantur, ac progressu demum deficiunt; sic illum arreptum illico ingentem ardorem sensim imminuentibus tandem defervescere; nos enimvero decet fluvios imitari qui qualescumque a fonte sint, ulterius fluentes augescunt magis, & amplioribus feruntur alveis, quo a capite longius recesserunt. Ecquid igitur potissimum ad dicendum sumamus, quod & B. Patris prædicationi, & grato Filiorum animo, & purgatis sapientissimorum Auditorum animis pro merito, pro officio, pro dignitate respondeat? Non est cur longius conquisituri evagemur. Cum vel ingredientibus in Ædes nostras D. Caroli Borromæi occurrat imago, quam Barbadicus loco sui stemmatis in limine poni jussit, & amoto in sui commendationem disticho eam inscriptionem subiici; *Disci-*

plina tua ipsa nos docebit; cum animadvertimus quas leges Carolus ab se conditis Seminariis constituerat, iisdem nos ex Gregorii institutione regi, atque gubernari; cum intelligimus in Caroli tutelam a Gregorio ita traditos, ut illo auspice, ac Patrono principe utamur; cum auditione accipimus festo D. Caroli die in hunc locum se Gregorium conferre consuevisse, ut in ejus memoriam, atque honorem Alumnos sacratissimi Dominici Corporis participes sua manu faceret, nihil prius, neque tam pronum, neque tam obvium cogitantibus nobis se se offert, quam, quod vivente Gregorio ubique vulgo jactabatur, Caroli spiritum in Gregorium migrasse: tanta erat utriusque morum similitudo, vitæque consensio. Una erat illa omnium vox Barbadicum Episcopum, & Cardinalem sanctissimum vivam esse Caroli imaginem, tamquam colore, ac similitudine prorsus expressam, eratque illa opinio Italorum omnium, immo & exterorum, atque adeo vel Hæreticorum, qui, tametsi nostris pro more institutoque infensi sunt, tamen quia virtus id habet, ut amabilis sit, admirabilisque etiam carentibus, non poterant, quin tributam Gregorio communi fama laudem concederent, & prædicarent. En quod suamet sponte sine ulla investigandi argumenti cura oblatum nobis est, in quo tota nostra hæc versetur disputatio, B. Gregorium Barbadicum fuisse alterum sui temporis D. Carolum Borromæum.

Unde vero initium ducam? Num a Generis claritate? ea in utroque patria fuit, & par. num a Parentibus? Æque illi fuere pii, æque de Liberorum optima institutione solliciti. a pueritia? Utriusque pariter studiis dedita, atque pietati. a dignitatis exordio? Utrique paria merita viam munierant, utrumque modestia eadem retrahebat. Ne hæreamus in litore, sed explicatis orationis velis in altum proveha-

vehamur. Non omnia ordine exponam, ſed velut per tranſennam prætereuntibus conſtructam rerum copiam ſubiiciam. Pono vobis ante oculos utrumque ab Epiſcopatus initio. Qui Mediolanenſis Antiſtitis doctrinæ, & ſanctitatis tum prope recenti fama eminentiſſimi exempla, virtutes, inſtituta ſimul, atque Epiſcopus renuntiatus eſt, æmulanda ſibi propoſuit, ſuſcepta vineæ ſuæ procuratione, eamdem ſterilitatem, eamdem nocentium herbarum luxuriem eoſdem vepres, ſenteſque, eadem mala deprehendit, quæ nactus in ſua fuerat Borromæus. Corrupti mores, profligata diſciplina, miſeranda ignorantia decretam utrique provinciam oppleverant; quaſi imitari cupienti imitandi facultatem ipſa calamitas ſuppeditaverit. Non Pictor exemplari propoſito opacitatem, umbram, claritatem, lumen, vultus argutias, capilli elegantiam, oris venuſtatem, deſinentis picturæ modum, totius ſymmetriam tam exacte deſcribit, quam fideliter Gregorius ſingulas Caroli virtutes in ſe tranſtulit, cujus vitæ lector aſſiduus erat, quam iter quoque faciens in ſinu geſtabat, cujus anagnoſtem inter cænandum quotidie adhibebat, ut omnia ſanctiſſimi Præſulis dicta, facta, eventa omnino ſibi familiaria ad imitandum faceret. Qua igitur ratione tantis Provinciæ ſuæ malis occurriſſe Barbadicum putetis? eadem plane, quam Borromæus iniit. Propitiato primum multis precibus Divino Numine, a quo vires ad bene feliciterque regendum aptas acciperet, a ſemetipſo incipiendum ſtatuit, ut talem ſe omnibus exhiberet, quales fieri omnes concupiſceret. Uterque Antiſtes optime didicerat ab Apoſtolo *iu omnibus ſe ipſum præbere exemplum bonorum operum*; uterque nimirum cum eodem veritus, *ne cum aliis prædicaverit, ipſe reprobus efficeretur*; uterque probe intelligens eam fore tutiſſimam viam, ſi Chriſti veſtigiis inſiſteret, Chriſti, qui *cæpit fa-*

cere, deinde *docere*. Cogitabat uterque non exundaturas ad irrigandum hortum aquas, nisi prius vas, unde exiliant, ipsum plenum fuerit, & ut flumina de ventre fluant aquæ vivæ, oportere in ipsis fieri fontem salientis aquæ. Non vacat referre orandi juge studium, secessus annuos ad vacandum facilius, deposita tantisper publicæ procurationis sarcina, rebus suis, longas noctis vigilias, molesta jejunia, asperas corporis castigationes, cæterasque sumet exercitationes, quæ si in ambobus eædem fuere, easdem ab aliis discere potuerunt. Illud peculiare Caroli, cujus Gregorius æmulus singularis, ut cum ad perfectam normam uterque viveret, cum in neutro nihil nisi laudandum imitandumque dignosci posset, uterque tamen sibi Monitores constituit, qui attentissime ipsorum gesta inspectarent, & si quid in ipsis animadvertissent, quod vel leviter peccatum esset, cum libertate reprehenderent. Hoc enimvero in insita cuique sui æstimatione, in naturali reprehensiones audientium ægritudine, atque indignatione, præsertim eminenti fulgentium dignitate ab inferioribus, hoc inter cætera ita miror, ut omnia penes me superet admiranda; sed nimirum id eorum est, qui a reprehensione longissime absunt, qui autem magis ad reprehensionem accedunt, magis refugiunt, & aversantur. Hoc primum, quod omnium potissimum censuit, constituto, Carolus ad Familiam suam certo vivendi ordine componendam animum adjecit. Dicebam, Carolus, quippe ita audio a Giussano, Gregorius, ut dicam, moneor a Ricchinio. Neque vero difficile fuit præeuntis sive Caroli dicas, sive Gregorii vestigia Domesticos libenter sequi. Sua enim sponte a capite, atque corde in membra spiritus, vigorque diffunditur, motaque rota prima, facere non possunt cæteræ quin sequantur. Ea erat utriusque Viri sanctissimi, nec fallebantur, opi-

nio,

nio, secundum suum, suorum exemplum fore vel bonum ad virtutes, vel malum ad vitia in cæterorum animos inferenda potentissimum. Obversabantur scilicet Episcopis prudentissimis non præteritorum modo, sed & suorum temporum deploranda nimis exempla, unde cognoscerent quantum detrimenti in bonum publicum Aulicorum perversitas importaret. Hinc utriusque antequam ullum in suam familiam admitteret, diligentissima illa perquisitio, quibus quisque moribus, & qua indole præditus esset; illa perspicax, nequaquam communis vigilantia, num quis probitatis, pietatis, religionis simulatione (quis enim aperte fallere, aut peccare iis Episcopis ausus esset?) quidquam diceret, aut ageret; illa constantissima voluntas ordinis in Christianæ vitæ officiis a familiaribus omnibus perpetuo, atque una servandi. Utriusque votis, curisque respondit eventus. Utriusque enim familia non Aulicorum societas, cujusmodi non defuerunt unquam, nec deerunt, sed Religiosorum hominum cœtus (prodigium hac ætate non usitatum) cœtus inquam hominum Religiosorum probitate, modestia, continentia, integritate, pietate, omnibusque virtutibus florentissimus utriusque familia videbatur. Non est hic locus enarrandi quantum inde utilitatis in commune bonum redundavit, nec quanta aut Carolus, aut Gregorius fecerit, cum fecerit uterque quod eximiæ sanctitatis Episcopi facere consueverunt, Christi horti cultores diligentissimi, ut virtutes omnes sererent, vitia quæque eradicarent. Satis est ut ostendam quemadmodum a Carolo Gregorius in se transcripsit exemplum. Revocate animos vestros ad Mediolanensem provinciam, inspicite hominem totum deditum animarum saluti. Sive privatim loquatur ille, sive publice, ita flexanimis utitur verbis ex imo pectore charitatis plenissimo erumpentibus, ut

quoſcumque quo velit, impellat, unde autem velit deducat. Sacris voluminibus legendis vacat, & in Prophetarum libris attentius inhæret, ex quibus opportuniora in concionum, & exhortationum ſuarum uſum hauriat, atque derivet: quos autem voce, & ore paſcere non poteſt, atque erudire, eos in redigenda ad exactam regulam vita pro ſua conditione quoſque inſtituit ſcriptis, & quibus ſcriptis! quæ cum extent adhuc ad poſterorum utilitatem, quam etiam proſpiciebat ſtudioſiſſimus Paſtor, & cujuſque oculis ſubjecta cum ſint, non eſt cur ullius præconio, nedum noſtro commendentur. Jam illum videre licet Patribusfamilias ex ſuo inſtituto certis diebus convocatis domeſticæ inſtitutionis præcepta diſerte explicare, quo ipſi Parentes familiam ſuam ad Dei cultum, & Chriſtianam diſciplinam recte erudirent. Sed in puerorum cœtu, tanquam in regno ſuo potiſſimum ſollicitus, libenſque verſatur, chriſtianam Catecheſim per ſe ubi poteſt, per ſedulos miniſtros, ubi non poteſt, tradendam curat. Ecquod illud ſpectaculum quam jucundum, & præ dulcedine ſpiritus lacrymas eliciens circumſtantium, videre hic Virum Principem ſuper pueros, ut illum Jobum, *ſtillantem eloquium ſuum*, & hinc pueros *os ſuum aperientes, quaſi ad imbrem ſerotinum?* Sed hæc leviora. Quid? quos labores ſubiit, quæ incommoda toleravit, quæ pericula adiit in luſtranda provincia ſua, quo univerſum gregem inſpiceret, Cleri, populique mores cognoſceret inveſtigaretque, num quæ vitia, num quæ corruptelæ irrepſiſſent, num qui odiis, inimicitiis, aliiſve flagitiis impliciti eſſent, num a ſacris jamdudum alieni, num alia ſubeſſent, quæ Epiſcopi cognitionem, & medicinam poſtularent? quod ſi ſpirituali totius gregis ſui emolumento intentiſſimus erat, an putetis humanæ vitæ neceſſitatibus conſulere neglexiſſe? Enim vero

quam

quam libenter Orationis laxarem, ut ita dicam, habenas, ad ampliſſimum campum excurrendum in explicanda beneficentia, & profuſa in pauperes liberalitate, ſi quam multa ſuppetit dicendi ſeges, tam multum etiam temporis ad dicendum conceſſum eſſet. Inhibere curſum invitus licet cogor, interim tamen minime dubitans, quin vos, cum hæc de Borromæo loquerer, Barbadicum deſignari cum veſtris animis reputaveritis; immo taciti alii alia vobiſcum ſubiicitis, &, ut dicantur, expectatis. Ego vero, ſi quæ dicenda ſuppetunt, dicam omnia, quem finem dicendi faciam? Vitam D. Caroli legitote, B. Gregorium deprehendetis; Gregorii vitam in manus ſumite, Carolum, recognoſcetis. Liceat ergo innumera vobis jam cognita miſſa facere, mihi tamen illud non libet omittere, quod, ſi divina arcana inveſtigare licet, videtur divino quodam conſilio eveniſſe, ut Carolum in cælis regnantem in terris adhuc militare in Gregorio homines ſibi perſuaderent. Quid enim manifeſtius divina providentia factum, cum, ut paria utriuſque Antiſtitis merita eſſent, uterque obiiciatur pares ob cauſas paribus fere conflictatus moleſtiis, laceſſitus injuriis, controverſiis vexatus, ad necem quæſitus? Euge Pater optime, id age, ut gregis mores componas, revoces ad bonam frugem, ad pietatis officia perducas, diſciplinam reſtituas, jura Eccleſiæ tueari s. Vexillum tibi præbet ſtrenue ſequenti anteſignanus inclytus Borromæus. Adverſarios offendes, non ignoro, multorum invidiam ſubibis, obtrectationes devorabis, famæ quoque vitæque ipſius inſidias non effugies. At ſi quæ iniit Carolus, tibi quoque ineunda ſunt certamina, ea quæ Carolum, Te quoque manent ampliſſima præmia. Tibi felix, tibi florens, tibi beatus videris, ſi magiſtri virtutes aſſequeris; eas ut aſſequaris in eaſdem conſpirante fato

(ſi

(si licet uti verbo) abriperis insidias, periculaque. Pro sexcentis, Auditores, satis unum sit. Quamquam quæ præteriere, & jamdudum in hominum mentibus insedere solent paullatim de horrore semper aliquid amittere, tamen quod dicturus sum non possum sine horribili gelidaque formidine quadam referre. Eo pervenit nefarii nescio cujus hominis impietas atque furor, ut execrandum ceperit de integerrimo perdendo Episcopo consilium, quod perficere brevioris, ut ajunt, sclopi ictu parricida teterrimus aggressus est. An ut Carolum Gregorius repræsentaret, id quoque necesse erat, ut ignea glande, quemadmodum Carolus, peteretur? Videtur ita sane: nam & eventus utriusque similis fuit, utrinque in irritum cadente ictu. Attamen ad tam sceleratum facinus quis non commoveatur? quis non sacrilegum hominis monstrum exterminandum putet? Omnes putant, præter Gregorium. In omnium perturbatione immotus, ac plane tranquillus ad ulciscendum paratos coercet; id facturus pro sua virtute, quod ab ipso divino Pastore hauserat, sed profecto eo quoque contentus, quod ad Caroli exemplar, ad quod se omnino referre, atque componere sibi proposuerat, hoc pacto magis atque magis accederet. Qui ultro vos paullo ante ad Mediolanum mente & cogitatione converteram, videor ipse a vobis eodem revocari, ubi jam modo spectaculis nescio quibus lætissima tota Civitas, gaudio repente in luctum converso, præ lue epidemica ingruente, consternata mentis oculis obiicitur. Ibi video Carolum concursare sedulo vias, ægrotantes invisere, jubere quoscumque obvios laborantibus opitulari, & ipsum quoque per se omnia officia ad miserorum salutem, aut levamen præstare, & in primis niti, ne subsidia ad æternam salutem miseri desiderarent, & animam suam positurum pro ovibus suis, dummodo

modo morbo affectis opem ferret, se in apertissimum vitæ discrimen committere. Non evenit id aut Bergomensi, aut Patavino Episcopo Barbadico, quo sui temporis Borromæum hac in parte se se exhiberet. Verumtamen etsi avertit malum hujusmodi pro sua bonitate Deus O. M. a Bergomensi, Patavinaque Provincia, tamen non defuit quo Carolum hac quoque parte se ostenderet. *Invaserat enim finitimas Italiæ Provincias epidemica lues, ac Patavio impendebat ejusmodi calamitatis periculum. Id sedulo reputans amantissimus Pastor, Caroli Borromæi charitatem in omnem mali impendentis eventum æmulari constituit.* Ita scribit Ricchinius, narratque, ut ille se ad suspicionem morbi comparaverit, pro animorum, corporumque salute eadem, quæ Carolus, perfecturus, ut appareat, si defuit occasio, voluntatem non defuisse. Sed revera jam ante quam Episcopus esset Gregorius se Carolum gessit. Illius temporis vobis veniat in mentem, cum ille Summi Pontificis Domesticus Præsul, grassante Romæ lethali lue, ad id mali propulsandum Transtiberinæ regioni præfectus est. Quæ Mediolani a Carolo facta recensui, eadem Romæ plane confecit Gregorius, ut sive Bergomi, sive Patavii, sive Romæ, ubique Carolus videatur. Non ego minuta persequar, veluti suscepta ad Sanctorum mortales exuvias rite colendas itinera, induendi se vel privatim vel publice rationem, cibi potusque parcissimum modum, hæreditatem addictam aliis, quam Genti suæ, tenuem sui funeris apparatum testamento præscriptum, & alia plurima, quæ si eo magis ad unguem imitandi formam commonstrant, habere locum non videntur, ubi missa fiunt innumera longe maxima. Jam enim eo sua sponte delabitur Oratio mea, ut si Carolo Gregorius similis, omninoque par ea ætate viventibus videbatur, ostendam paucis ea monumenta perpetua futu-

futura ambos reliquiſſe, ut poſteris ætatis diſcrimen non cogitantibus gemelli videantur. Ingens Caroli animus non traditarum ſibi ovium cura contentus erat; ſed quemadmodum ferunt arbores Agricolæ, quæ alteri ſæculo proſint, ita Paſtor providentiſſimus ad futuram deinceps ſobolem in omne tempus animum intendit. Teſtes ſunt, quin potius edita voce conclamant inſtituta ab eo Seminaria, in quibus cum lego qua ſe ille ratione geſſerit, mirifice delector, cum mihi videar Barbadici in condendis Seminariis acta vel minora relegere. Quod ad Concilii Tridentini leges Patavii excitatum jam olim Seminarium erat, an tenue nimis viſum Gregorio eſt, & ab eo quod neceſſitas poſtulabat longiſſime remotum? Tale intelligo viſum Carolo Seminarium per Ormanettum cœptum. Ingentem pecuniæ vim Patavinus (liceat mihi dicere) Carolus in eam rem impendit, ſuiſque bonis abdicatis, proventus in perpetuum addixit? Id ante fecerat Mediolanenſis. Domeſticæ rei anguſtia impeditos pueros, quominus bonis artibus inſtrui poſſent, ſuis ſumptibus alendos non ex urbe modo, ſed e rure etiam, atque e montibus in Seminarium admitti jubebat, ubi exploratis moribus, exploratoque ingenio utiles Eccleſiæ fore prævidiſſet? Hæc fuerat ipſiſſima Caroli conſuetudo. De regiminis forma, atque inſtitutione nihil præterea dicam, quam quæ initio commemoravi, eam eſſe noſtram, quam Mediolanenſis Archiepiſcopus tradiderat: niſi quod peculiarem quamdam ſtudiorum methodum Gregorius addidit, quam pro ſua in omnibus eruditione ipſe conſcripſit. Anteverterat nimirum Carolus multa ſcribendo ad Eccleſiæ ſuæ utilitatem, quæ in ſuæ bonum Gregorius tranſtulit; non omiſit tamen Magiſtri exemplum etiam ſcribendo, ut & viſus ſit Carolus Caroli inſtituta ſervando, & ad exemplum Caroli memoriæ poſterorum

rum

rum utilia prodendo. Quamquam neuter humanarum vicissitudinum ignarus erat, sed prævidebat uterque a se constituta vel temporum mutabilitate, vel hominum libidine non eo, quo constituta fuissent modo constantia fore. Ad me tamen id unum attinet ostendisse parem quoque fuisse in utroque providentiam futurorum, cum id mihi muneris in præsentia demandatum sit probare B. Greg. Barbadicum fuisse alterum sui temporis D. Carolum Borromæum. In id argumenti quod proposui ingresso mihi accidit quod solet Oceanum primo ingredientibus, qui quo ulterius provehuntur, immensa vastitate deprehensa, eo minus se ad extremum litus pervenire posse confidunt. Quocirca vela contraham, & indicata licet potius quam demonstrata omnimoda inter Carolum, & Gregorium similitudine, ad exitum Orationem deducam. Cum admirabilis appareat Divina Sapientia, non modo in infinita rerum varietate condenda, sed maxime in unis hominibus, quos omnes cum similes fecerit, facies tamen omnium dissimiles sunt, immo totidem pene reperias etiam ingeniorum, quot corporum formas, non minus se admirabilem prodidit in hominibus virtute, atque sanctitate exornandis. Vere *mirabilis Deus in Sanctis suis*, quos cum omnes Sanctos effecerit, ita tamen effecit, ut de unoquoque dici possit, *non est inventus similis illi*, quia unusquisque peculiari excelluit aliquo genere sanctitatis. Inventus est temporibus nostris similis Carolo, & ita virtute, atque sanctitate par, ut videatur alter idem, quemadmodum lilio collatum lilium, globus globo, adamas adamanti, aut potius Iris Iridi, quæ diverso tempore cum appareat videtur alia, quam tamen melius dixeris eamdem. In lucem venit alia ætate Gregorius, cujus cum decora sint innumera, illud supra cætera prædicetur, quod sopitam cum morte Caroli vir-

virtutem ita excitavit, quemadmodum flammas, quæ absumptis lignis resederant, contracto in prunas calore toto, quis excusso cinere, quo prunæ contectæ latent, additisque lignis, easdem rursus exsuscitat.

IN D. CAROLO BORROMÆO,

E T

B. GREGORIO BARBADICO

Virtutes fuere pares.

Fides.

Quid mihi terrifica, quæ Perseus ægide quondam
Grandia patravit facta, Poeta, refers?
Ut findens victor tranantibus aera pennis
Anguicomæ retulit Gorgonis exuvias?
Ut dura immerito pendentem e rupe Puellam
E rabidis monstri morsibus eripuit?
Carolus horrendum & non enarrabile monstrum
Perdidit, inferni quod vomuere lacus.
Carolus Hæreseos Christi per Ovile pererrans,
Et miserum crucians nocte dieque pecus,
Dat letho monstrum, domitumque in Tartara mittit;
Dein simili extirpat vulnere Gregorius
Hydram de veteri sensim radice renatam.
Nil mirum: namque una Ægis utrique fuit.

Religio.

Dic mihi Musa, quis hic, sancto qui totus amore
Ardens, & se se sensibus eripiens

Sa-

Sacra Aris facit? est hic, inquit, Carolus. Illum
Jamdudum nobis mors fera surripuit,
Et Sanctos inter tenet astra. est Carolus, inquit,
Dicitur ast alio nomine Gregorius.
Post fata Hippolytum quondam sub nomine Virbii
Vixisse, in vanum est fabula ficta jocum.
Hoc credam potius, fuerat qui Carolus, esse
Jam modo mutato nomine Gregorium.

Spes.

Qualis, calenti dum furit impete
Ardens ab alto Sirius æthere,
Atque urit agros, inquietus
Sollicito memora alta cervus
Cursu pererrat, viscera fervido
Correptus æstu, nunc petit anxius
Excelsa montis, nunc ab altis
Verticibus petit ima vallis;
Donec fluentem murmure blandulo
Offendat amnem, quo sitis igneos
Expellat ardores, rigetque
Frigidulis sua labra lymphis;
Sic impotenti, quo intus aduritur,
Flagratque totus Gregorius Dei
Amore, in unum arrectus alta
Spe rapitur, sequiturque anhelans
Unum inquietus Gregorius Deum,
Unumque, seu Sol exeat æquore,
Pontive submergatur undis,
Quæritat unum, inhiatque Numen.
Terrena an illum commoda pertrahant,
Quem suaviores deliciæ attrahunt,
Quas omne mansuras per ævum
Cælicolum domus alta pandit?

Con-

Contemnit aurum; quin generosior
Tumultuosum traderet in mare
Portare ventis, & procellis
Divitias operosiores,
Tardaret illum ni pietas sua,
Et juncta cordi pauperies foret,
Quæ altum ingemiscens, parce, clamat,
Proposito, Pater alme, parce.
Non vana rerum nomina inanium,
Non illum honores, claraque purpura,
Non ducta ab Heroo moratur
Sangine nobilitas, decusque.
Non illum avorum factaque grandia,
Affixa & aureis stemmata postibus,
Non fama tantis clara rebus
Mente queunt solida movere.
Quin universus non valet illius
Regendus Orbis nutibus, ipsaque
Prostrata majestas potentum
Ante pedes tetigisse regum.
Sectatur illum copia divite
Referta cornu, subsequitur decus:
Terris relictis celsiora
Ingreditur generosus Heros.
Ceu, quando pleno gurgite volvitur
Lapsis ab alto grandior imbribus,
Silvas per, & campos recurrens
Sternit humi sata cuncta torrens,
Nec ripa multo gramine detinet,
Nec sparsa pulchris prata coloribus,
Sed liber, & cursu citato
Effugit æquoreas ad undas:
Inire summas jam propius vias
Anhelat, arces scandere & igneas;
Queis ante præcedens quiescit
Carolus omne sequens in ævum.

Hanc

Hanc metam eamdem tangere nobilem
Inter Beatos, Te quoque Gregori,
Spes una ſuadet, ſpeque eadem
Sufficiente animos eoſdem.

Charitas.

Ceu quondam Soli nubes objecta micanti,
Lucis ubi immenſæ conſtitit ante jubar,
Percuſſa adverſi reflexo luminis ictu,
Aere ſtans ſimili fulgida luce micat,
Et geminos late Soles ſtupet inſcius imis
Suſpiciens cælo fulgere Paſtor agris;
Sic hinc Gregorius, ſic fulget Carolus illinc:
Illos forma eadem vix ſinit eſſe duos.
Fallor; purpureo Solis radiata nitore eſt
Hæc nubes, Solis lumine pulchra micat.
At late proprio lucet rutilantis ad inſtar
Solis, & æquali lumine Gregorius:
Ut ſpeculo oppoſitum radios reflectit eoſdem
Par ſpeculum, & ſimili lumine utrumque nitet;
Aut ceu cum longo fornax incanduit æſtu
Fornaci ſimilis, par furit ignis edax.
Fortunati ambo, cæleſtis victimæ Amoris!
Ambos flamma eadem dulciter excruciat.
Ardet uterque ſacro, atque alios ſacro urit uterque
Igne, pari creſcit flamma in utroque gradu.
Ac velut in denſa ſurgens vis ignea ſilva,
Cum decertantes incubuere Noti,
Ilicet undantes cælum occuluere favillæ,
Fertur & ardenti vortice flamma vorax,
Quoque magis victor veſtigia promovet ignis,
Creſcit eundo, ſuas & magis auget opes,
Gliſcit inexpletis flammis, populatur agreſtes
Acer opes, flammis cuncta peruſta jacent;

 Haud

Haud aliter dium diffundit Carolus ignem,
Ætherei flammis luminis ipse nitens.
Haud aliter dii flammas diffundit Amoris
Intima torrentes pectora Gregorius.
Carolus est ignis, scintillant lumina amore,
Est amor in vultu, verba ministrat Amor.
An quis bile tumet? subito stillantia amorem
Caroli at aspiciens lumina, mitis erit.
An quis probra jacit? casti verba aurea Amantis
Audiat, & discet purius inde loqui.
Non ullus tanto potis est obsistere amori,
Obstitit ut nullus viribus ignis obex.
Sed non disparibus flammis accendit amoris
Gregorius, cui par viscera adurit amor.
Quidquid agit passim divinum spirat amorem,
Verbaque cælesti missa ab amore fluunt.
Ille domo egreditur: late comitatur euntem,
Et flores toto tramite spargit Amor.
Jam Templa invisit: quos concipit ebria amore
Mens sensus! quales mittit ab ore preces!
Tollitur alta petens nimio jam percita ab igni,
Languet, & invento gaudet Amore anima.
Spectat humum, montesque videt cum vallibus altos.
Ardendi causas mille ministrat Amor.
Rupe sub exesa dulci cum murmure rivi
Decurrit placido vitrea lympha pede,
Hic læti exurgunt per roscida gramina flores,
Hic violæ molles, hic hyacinthus olet,
Protinus exardens cælestes concipit ignes,
Et dulci fervens vulnere pectus hiat.
Vos o, quæ rapidas libratis in aere pennas,
Funditis & tenui gutture carmen Aves,
Et vos, quæ zephyris impulsæ lenibus auræ,
Aut strepitis rauco per nemora alta sono,
Sacrum Gregorio res cunctæ afflatis amorem,
Vos castam exardenti uritis igne animam.

Ast

Ast ut sæpe novos ardentibus ignibus ignes
Addit aqua, & robur concipit inde magis
Flamma vorax, sic ille magis succenditur æstu,
Si cui forte Dei in pectore friget amor.
Carolus hoc simili quondam succensus amore
Languebat simili vulnere amoris amans.
Salvete o pulchræ Cælestis victimæ Amoris:
Nunc ambo æterno pascite amore animam.

Prudentia & Justitia.

DIALOGUS.

P. *Puro splendida lumine*
Do formam reliquis una sororibus.
J. *Me non ditior altera,*
Quæ vasto socias contineo sinu.
P. *Nitent frondibus arbores,*
Herbis prata nitent, floribus hortuli.
Flores, gramina, & arbores
Iisdem ast unus aquis rivulus irrigat.
J. *Vis mentis viget insita,*
Subsultat gremio cor, oculi vident,
Vivunt brachia, & ambulant
Pedes; idem animat spiritus omnia.
P. *Ex me suscipiunt decus*
Virtutes, radiis & rutilant meis;
Certis tempero legibus
Sorores, medium ut contineant iter.
J. *Per me ingens colitur Deus,*
Servantur sociis fœdera amantibus,
Majori obsequium datur,
Ægris subsidium, & cuique venit suum.
P. *Donec Carolus extitit,*
Prodibam rutilo sidere pulchrior.

J. *Donec Gregorius fuit,*
Indææ vigui Rege opulentior.
P. *Iisdem luminibus micans*
Ipsa in Gregorii pectore florui.
J. *Iisdem divitiis potens*
Ipsa olim vigui in pectore Caroli.
P. *Uno nomine differunt*
Cælorum ista duo fulgida lumina.
J. *Sed & tempore differunt*
Cælorum ista duo fulgida lumina.
P. *Hora, & nomine differunt*
Vesper lucidus, & Lucifer aureus;
(Ambæ) *At Sol enitet unicus.*
J. *Alter purpureus mane oritur novo,*
Sero alter rubet occidens.
(Ambæ) *At semper radians unicus enitet.*

Fortitudo.

Quæ tenero haud pridem ludebas blandula versu,
Ponere jam citharas, jam dulcia ponere plectra,
Altisonasque inflare tubas, & grandia tempus
Facta sequi, mea Musa. Virum celebrare canendo
Constantem aggredior, qui possit temnere mortem.
Jamque catervatim pallentia monstra figuris
Horrificis, vultuque truci metuenda pericla,
Quæ graviora facit stygiæ malus arbiter aulæ,
Unum oppugnant, circumstantque unum undique mille,
Perniciem ingentem, subitosque minantia casus;
Nec non insomnes, spectra horrida tetra, labores,
Turba Acherontæis quondam eructata tenebris,
Adsunt confecti macie, & pallore supremo,
Difficili addentes operi noctemque, diemque,
Grandibus atque Virum nituntur sistere cœptis.
Ac velut annoso consurgens robore quercus,
Quam tremulo celsas pulsantem vertice nubes,
Una

Una Eurusque, Notusque feris horrenda gerentes
Prælia turbinibus nequidquam vellere tentant,
Illa solo fixa inconcusso stipite sævos
Luctatur contra ventos, ac mole sua stat,
Vivida Gregorii sic stat radicibus hærens
Immotis virtus, hostiliaque arma retundit.
Interea teneris implent balatibus agni
Aerios montes, & inhospita saxa, vagique
Pastorem hac, quæruntque illac, ut vivere tuti
Possint sævitia Ursorum, & feritate Leonum;
Quandoquidem immanes errant in montibus Ursi,
Fulmineoque necem fundentes ore Leones.
Impiger ille sibi commissum lustrat ovile,
Saxaque, inaccessasque vias, spernitque ruinas.
Ah rupes quæso, & saxa invia, prætereunti
Parcite Gregorio, furibundi ah parcite venti,
Parcite & ardentes æstivo tempore Soles.
Fortis init quo raptat amor, quoque anxia cura
Solliciti Pastoris agit; non invia terrent
Gressibus humanis loca, non hunc silva moratur
Antiquis inculta rubis, non fervidus æstus
Sistit, damnosos quamvis contorqueat ignes
Sirius ex alto, sitientiaque arva perurat.
Caras lustrat oves, & dulcia pabula præbet
Pervigil, inspiciens quacumque, virentia ne quis
Improbus inficiat lethali prata veneno
Anguis, & invidia ne quisquam falce novellas
Incidat vites, aut parvos fascinet agnos,
Quos illi non unda rapax, nec flamma, nec hostis
Nudato possit sævus divellere ferro.
Sed majora canam. Sedes horrenda relinquit
Tartareas turbata oculos, & scissa capillos
Anguineos, fœcunda malis discordia, jactans
Terrificam de more facem, qua jurgia mille,
Mille nocendi artes, fraudesque, & noxia bella,
Litesque, insidiasque serit, rixasque, dolosque

Ingerit illa animis, & sævis hortatibus iras
Suscitat, impellitque in turbida prælia Cives.
Da modo terribilem gravior mea buccina cantum.
Divinis ardens stimulis, sacroque furore,
Proripitur medios Heros generosus in hostes
Solus, & impavido venientes excipit ictus
Pectore, consilioque potens, & viribus acres
Jam solus lites, civesque sibi atra moventes
Prælia compescit. silet ipsa Licentia forti
Debellata manu, rursusque attollere tentans
Triste caput, graviore cadit perculsa ruina.
Justum, constantemque virum, probat ignis ut aurum,
Sic adversa probant. telluris inutile pondus
Marmora in obscuris latitarent usque latebris
Nec tua, Sancte Pater, fulgerent templa, tuamque
Haud insculptam hospes demisso poplite in aris
Effigiem coleret, nisi ex imis eruta terræ
Visceribus, scalprisque diu concisa peritis
Nobilis Alcimedon spirantia fingeret ora.
Scilicet eximium suffecit pectore robur
Carolus, & duros docuit superare labores.
Gregorius didicit fortem exæquare Magistrum
Pectore. Sic ramus dura de matre recisus,
Fixus humi viret, & longo post tempore matri
Æmulus assurgens Aquilonum despicit iras.
Ausus Tu primum, circum maria aspera oberrans
Tot casus inter, tot, Carole, sæva pericla,
Incolumem tandem duxisti ad litora puppim.
Tuque age, care Pater, monstrata per æquora cursum
Dirige: de portu palmas tibi tendit utrasque
Carolus, & facilis venientem suscipit ultro,
Grataturque lubens, cupidisque amplectitur ulnis.

Casti-

Castitas.

Meum Gregorium, meum illum ocellum,
Meum præsidium, meum Patronum,
Cui dicam similem? tenella qualis
Huic infantia, talis & juventa;
Qualis flos viridis fuit juventæ,
Talis Gregorii virilis ætas;
Qualis Gregorii virilis ætas,
Talis Gregorii fuit senecta;
Totus candidus, integerque totus,
Et totus magis innocens columbæ;
Pectus lacteolum, venustulumque,
Mens purissima, luce plena tota.
Meum Gregorium, meum illum ocellum,
Cui dicam similem? Angelo beato?
Mores Angelici, Angelique certe
Puritas nivea, Angelique vultus.
Io! Gregorium, meum Patronum,
Magis suspicio, magisque miror.
Splendent facibus Angeli carentes,
Verum & pondere corporum carentes
Haud possunt maculis coinquinari.
Meum Gregorium, meum illum ocellum,
Carolo similem fuisse dicam.
Idem carnis onus fuit molestum
Carolo, & tamen usque & usque fulsit
Totus candidus, integerque totus.
Salvete o mihi plena Christi odore
Vasa, o nectare plena sanctitatis.
Nam mos corpora vestra vasa fecit
Sancta purior, integerque totus.
At vos queis similes? nivi ne dicam,
Quæ celsos tegit, obruitque colles,
Dum sævit rigidis hyems procellis?

An lacti niveo, quod a tenellis
Vix pressum uberibus recens nitescit?
Albis floribus hortulo e venusto?
Qui pulchro calathi nitent honore,
Et cum Aurora diem sinu rubenti
Portat candida, rore noctis halant.
Pulchra lilia, lilia o decora!
Quæ nunc in superum micatis horto.
In flores pueri feruntur olim
Mutati, an potius putem micantes
Versa lilia in Angelos beatos?
Ast hi sunt lepidi joci Poetæ.
Olim consilium senile fecit
Illos e pueris senes sagaces,
At nunc e senibus pudor puellos
Fecit, candidos eos puellos,
Queis cæli usque fores patent beatæ.

APOTHEOSIS.

Ecloga, cui nomen Daphnis, inter Corydonem Patavinum, & Mopsum Mediolanensem, Pastores. Daphnidis nomine venit Barbadicus; Thyrsidis autem, Borromæus.

C. *Cur huc, Mopse, pedes, quænam te causa coegit*
Dilectæ fines Patriæ, & tua linquere rura,
Et petere has silvas, nostrosque invisere colles?
M. *Scilicet & Patriæ fines, & rura reliqui*
Abreptus fama solius Daphnidis; ipsa
Nam multa ad nostras de Daphnide pertulit aures.
C. *Venisses cum festa novo celebravimus ante*
Astrorum Civi! vidisses gaudia nostra.
Cur autem post festa huc, & post gaudia Mopse?
M. *Discipulum nostri culturus Daphnida Thyrsis.*
C. *Felix, qui talem voluisti, Daphni, Magistrum!*

M.

M. *Felix, Discipulum qui talem, Thyrsi, docebas.*
C. *Ut vites ulmis decori sunt, vitibus ulmi,*
Sic Thyrsi est Daphnis, sic Daphni est Thyrsis honori.
M. *Non tam purpureus formoso natus in horto*
Flos terram exornat, quæ nutrit & educat illum,
Daphnida quamThyrsis,quamq;ornatThyrsidaDaphnis.
C. *Felices ambo! tandem hæc discrimina vitæ*
Linquentes, lætique æterna pace potiti,
Felices nunquam periturum degitis ævum,
Vera ubi in immensum pleno torrente redundant
Gaudia, nec fines novit diffusa voluptas.
M. *Felices ambo! scisso modo nubis amictu,*
Qui nostras hebetat morituro in corpore mentes,
Pascitis æternum divino lumina visu,
Spectantum mentes qui sacro nectaris imbre
Irrorat, miraque beat dulcedine pectus.
C. *Felices! omnes nunc vestra hic facta recensent,*
Et gaudent omnes vestras modo pangere laudes.
M. *Ipse equidem aut vitreas prostratus fontis ad undas,*
Aut viridi recubans altæ sub tegmine fagi,
Te cecini, Te Thyrsi canam, dum vita manebit.
C. *Hinc colles, nostræ repetent hinc Daphnida silvæ.*
Illius incipiunt jam nunc ediscere nomen,
Et Daphnin vestro inscribam nunc cortice, plantæ,
Dum vos crescetis, Daphnis quoque gloria crescet.
M. *Nunc igitur, Corydon, Daphnis nunc carmine laudes*
Dicamus, meruit dici jam carmine Daphnis.
C. *Daphnidis altus honos tantum se tollit Olympo,*
E terra magnus quantum se tollit Olympus.
M. *Dum referam Daphnis,referam quoq; nomina Thyrsis:*
Thyrsida Pastores dicetis, Daphnida silvæ;
Vos Daphnin silvæ, ac Thyrsin, vos dicite utrumque
Pastores, meruit fieri sibi talia uterque.
C. *Euganei colles, illum qui sæpe canentem*
Audistis, quæ sacram olim Jordanis ad undam
Isacides cithara Pastor cantabat eburna,

Vos

Vos etiam silvæ, quas vivens ipse colebat,
Plaudite nunc illi, illius nunc dicite nomen.
M. *Sæpius hi posthac colles, & collibus istis*
Adjunctæ silvæ resonabunt nomina Daphnis;
Ast alia hinc etiam silvæ atque alia addita silvis
Antra, & vicini repetent hæc nomina colles.
C. *Interea rutilis Tu nunc fulgentia stellis*
Templa tenens, magnum insuetus miraris Olympum.
Thyrsida habes: Helicen dederas Tu Thyrsida nobis,
Tu vero posthac Cynosura vocabere nostris.
M. *O quæ tum cælo vidisti, & qualia, Daphni,*
Cum pulchro auricomi ceu tectus solis amictu,
Per cæli tractus, liquidique per aeris oras
Enabas, summique petebas limen Olympi!
C. *Quam pulchrum vasti spatiosa volumina Cæli*
Cernere, distinctos stellis rutilantibus orbes,
Et magni late fulgentem lampada Solis,
Et tacito subter labentia sidera motu,
Et quidquid formosi in se se continet æther!
M. *Tum vero Aligeri juvenes plaudentibus alis*
Aera per liquidum Te sectabantur ovantem,
Et laudes, nomenque tuum, & tua facta canebant.
Tum Daphin late nubes, auræque sonabant,
Et Daphnin læto resonabat murmure Cælum.
C. *O quos amplexus! o quæ tum gaudia Thyrsis!*
M. *Dulce foret Daphnin, Thyrsinque audire canentes;*
Eximiasque Dei referentes carmine laudes.
Carmina namque canet modo Thyrsis, carmina Thyrsis
Ingeminans repetet Daphnis, modo concinet alter,
Alter quæ cecinit, modo junctis vocibus ambo
Æterno laudes dicent, & carmina Regi.
C. *Ut cum quis dulci modulatur carmina avena*
Per silvas, eadem repetentem carmina gaudet
Audire in solis habitantem vallibus echo;
Sic vos, immo magis, perfundunt gaudia longe,
Dum vestra alterno geminatis carmina cantu.

M.

M. *Non tam quisque suum lætatur cernere vultum*
A speculo, aut vitrea reflexum fontis ab unda,
Quam vos, alterius dum carmina concinit alter,
Alter & alterius conjungit carmina voci.
C. *Felices ambo!* (M.) *illius vos dicite nomen,*
Qui vestras beat æterna dulcedine mentes.
C. *Ut fons, qui variis huc flexibus erret, & illuc*
Prata per, & roseis gemmatos floribus hortos,
Præpropero cursu exultans, & fluminis alveo,
In mare devolvit fessas erroribus undas,
Tam lætum, Daphni o! post hæc incommoda vitæ,
Te tandem optati nunc cepit Regia cæli.
Nunc tua limitibus mens indignata teneri,
Libera disruptis vinclis erupit, & illum
Noctes, atque dies, quem pectore suspirabas,
Tandem invenit amans, dulcique potitur amore.
M. *Non hospes, Patriæ qui longe a finibus absens,*
Longinquas oras, louginquas viderit urbes,
Tam lætus dulcem patriam, & sua tecta revisit,
Navita nec ventos, varios perpessus & imbres,
Tam lætus plenis portus subit ostia velis,
Quam lætus stellata Poli Tu templa petebas,
Vera ubi pax, ubi vera quies, ubi vera voluptas.
C. *In terris Te Daphni, omnes venerantur, & omnes*
Laudes, Daphni, tuas gaudent, & facta referre.
M. *Jam tibi consurgunt aræ, pretiosaque templa,*
Affusique aris tua votis numina poscunt.
C. *Nos certe roseis ornati tempora sertis,*
Istis rite tuum festum celebrabimus agris.
M. *Nos quoque, Daphni, tuos semper referemus honores,*
Et Thyrsis fieri gaudebit talia Daphni.
C. *Ut vites agris decori sunt, vitibus uvæ,*
Floribus ut rigui fontes, ut fontibus umbræ,
Tu decus omne tuis, nostri Tu gloria Ruris.
M. *Fructus ut arboribus decori est, ut collibus arbor,*
Sic

Sic nobis Thyrsis, vobis sic Daphnis honori est.
C. *Dum volucres aer* (M.) *Dum pascent æquora pisces;*
C. *Et dum flumen aquas*(M.)*Dum campus habebit aristas,*
C. & M. *Immortalis erit nostro tua gloria Ruri*
C. *Daphnida Pastores*, (M.) *Pastores Thyrsida dicent.*
C. *Ipsæ Te valles*, (M.) *ipsa hæc arbusta loquuntur;*
C. *Ipse tuas blando fons garrit murmure laudes.*
M. *Omnia, Daphni, tuum gaudent modo discere nomen.*
C. *Vos silvæ Daphnin posthac resonare docebo.*
Felices silvæ! Daphnis vos sæpe colebat,
Vosque novis semper plantis ditabat, & ille
Vobis gratus erat, vos illi grata voluptas.
M. *Tu vero ante omnes fortunatissime silvas,*
Hortule, delicium Domini, corque, hortule, Daphnis
Præcipuo coluit te sedulus ipse labore,
Gaudebatque tuos persæpe invisere fructus.
C. *Hoc nemus, hos fontes, hunc hortum vivus amabas,*
Hoc nemus, hos fontes, hunc hortum respice, Daphni.
M. *Et nemus, & fontes, atque hic pulcherrimus hortus*
Nunc referunt, & dein referent tua nomina, Daphni.
C. *At nunc stelligeri quoniam Te Regia cœli*
Daphni tenet, nostrum ne dedigneris amorem:
Accipe vota, quibus jam nunc Te rite vocamus,
Et queis Te posthac, persæpe vocabimus ultro.
M. *Nunc etiam nos Thyrsis amat, quos vivus amabat,*
Atque ita damnamur nostris sæpissime votis.
Et vos præcipuos, quondam quos vivus amavit,
Nunc quoq; Daphnis amat, vos posthac Daphnis amabit,
Et sic vota simul, simul & dignatur amorem
C. *Hæc igitur precor o! Daphni o! nostra accipe vota.*
In Te quandoquidem nobis spes una relicta est,
Hortum hunc servato; tuus est hic parvulus hortus.

Con-

Conclusio.

Urbs una ante alias fortunatissima salve,
Borromæo olim facta superba tuo.
Tu dudum exemplar, tu fortunata dedisti;
Vix alium Heroem protulit ulla parem.
Nunc tandem æquiparat divinos æmula honores,
Urbs Antenoreis condita relliquiis.
Angelum & ista olim viventem in corpore vidit,
Et Borromæo nunc habet ipsa parem.
Silicet ut Phœnix, exuta in morte senecta,
Ipsa suo sensim nascitur e cinere,
Quæ, si dissimilis discrimen tollitur ævi,
Illa eadem Phœnix, quæ fuit ante, manet,
Sic in Gregorio illius, me judice, vixit
Spiritus, & dispar nil nisi tempus erat.
Fortunatæ urbes, similes nunc jungite honores,
Inque vicem Sancto solvite vota Patri.
At Tu Gregorii salve o venerabilis umbra;
Quæ mihi perpetuo Numinis instar eris:
Salve o corporeo jamdudum carcere liber:
Sub pedibus longe nubila, & astra videns
Incedis per regna, tuo Duce junctus, Olympi,
O Pater, atque Dei pasceris intuitu.
Sæpe etiam veterem servans in pectore amorem,
Dilectam hanc urbem ex æthere prospiciens,
Proh quoties facili aure preces, & fervida vota
Accipis, & procul hinc sæva pericla fugas!
Et quoties dum sæpe tuum istum despicis hortum,
Cor Tibi viventi deliciasque tuas,
Gaudia corde foves, coluit quem Carolus alter,
Quoque colente virens germina, ut ante, dedit.
Tu, precor o! nostri fulgentem sæculi honorem,
Euganei quondam spemque, decusque Soli,

Cle-

Clementem, rapiens quem nobis invida Roma
Orbis ad immensum transtulit Imperium,
Ah! dudum serva. tua nunc exempla sequetur;
Mox exempla aliis Pastor & ille dabit.

Anno 1763. Mense Augusto.



B. GRE-

B. GREGORIUS BARBADICUS ACTIVAM CUM CONTEMPLATIVA VITA CONJUNXIT.

PRÆFATIO.

EXultantem lætitiam, ac gestientis cum ratione animi elationem, qua abripiebamur simul atque Gregorium Barbadicum ad Beatorum cultum ac religionem consecratum esse accepimus, quia semel publice satis effundere minime potueramus, iterum Beati Viri præconiis celebrandis anno superiore testati sumus, testati, inquam, ex animi voto, non pro concupiscentis animi voluntate. Ea nos ratio permovit, ut in præsentia experiremur tertio, num facere nostræ tam probabili cupiditati possemus satis, quam etsi explere non liceat, tamen minus molesta superet dicendi sitis, quo magis aliis, atque aliis dicendis fuerit imminuta. Ne igitur verbis inanibus detineam vos, sine mora rem aggrediamur.

Beatum hominem, totamque ejus factorum seriem mihi uno intuitu, quasi aulæis improviso remotis totam scenam, simul spectanti, occurrunt plurima re distincta, specie diversa, numero prope infinita, quæ tamen omnia, ut in scena multiplices rerum imagines genus unum fabulæ, ita unum vitæ institutum in Barbadico præcipuum exhibeant, toto facto ad agendum, & ad aliorum salutem procurandam, ut in illo Sanctimoniæ genere, quod ad vitam, ut ajunt, Activam pertinet, inter primos excelluisse videatur. Miror tamen, si ita homines comparati natura sunt, docente (*6.mor.c.28.*) Gre-

gorio, cui nomen Magno, ac (2. 2. *q*. 182. *ar*. 4.) D. Thoma, ut quos fervor, atque impetus animi ad actionem impellit, ii minus sint apti ad contemplationem, quorum autem quietæ otiosæque mentes ad cogitationem suapte sponte feruntur, ii cedant oneri, si laboris occupatione excipiantur, miror, inquam, Barbadicum gravius profecto laborantem, si a laboribus vacasset, in rerum divinarum contemplatione tantum progredi potuisse, ut qui Martha omnibus satagens *circa frequens ministerium*, videbatur, idem clam omnibus, suique ex gaudio nescius, ut Magdalena sederet *secus pedes Domini*, *&* *audiret verba de ore ejus*. Eminuit in viro sanctissimo laboriosissimæ, & de aliorum bono studiosissimæ vitæ ratio, quæ exterior cum sit, latere non potest vel ex remoto loco intuentes: Inerat homini in Deum sæpe suspenso, atque æternæ dulcedinis gaudia degustanti perspicuæ veritatis jucunda admiratio, vix internoscenda, aut conjectura potius assequenda prope inspectantibus. Sic lucet, & ardet ignis: at lucentem vel longe prospicias, ardentem nisi prope non sentias. Habetis de quo dicturi sumus, non quidem Academicorum more patrio contra quidquid alter dixerit disputantium, sed ita distributas agemus partes, ut invicem assentientes, alii in eo vitæ genere explicando occupentur, quo Gregorius ad aliorum bonum illuxit, alii in eo, quo ipsemet Divino igni intus exarsit.

IN ACTIVA VITA ADMIRABILIS.

I. ORATIUNCULA.

Si unquam dicturum alias uberrimam quantumvis segetem præ manibus habentem *inopem me copia fecit*, nunc certe præclara eaque innumera B. Grego-

rii

rii gesta in aliorum utilitatem suscepta, confectaque persecuturus *magnas* mihi videor *inter opes inops*, cum in tanta rerum admirandarum multitudine, quarum vix minimam partem angusto ad dicendum præfinito tempore liceat attingere, quid prætermitti fas sit, quid potissimum perstringi præstet prorsus ignorem. quamquam eam beati hominis sollicitudinem, illustria illa merita, illa celebrata adhuc, & celebranda in posterum ab omnibus acta, quæ ad Seminarium pertinent, Seminarium, simul atque ab eo conditum, magnum factum, & ad eminentem gloriam ab eodem elatum, ea, quoniam primum quocumque modo nobis complectentibus auditis, omnia præterire sine piaculo in præsentia possumus. Satis itaque sit vel leviter intueri Gregorium alterius (*Hom. 14. sup. Ezech.*) Gregorii de activa Vit documenta sectantem, occupatumque totum in eo, ut *panem esurienti tribueret, verbo sapientiæ nescientem doceret, & quæ singulis quibusque expediunt, dispensaret*. Non possum sine dulcissimo animi sensu memoria repetere, & mentis oculis obiicere imaginem hominis opulenti, & apprime divitis, tamen aut paucis exsiccatæ uvæ acinis, aut oleribus, ac leguminibus, interdum uno ovo, aliquando viliore pisce, vires ne dicam corporis instaurantis, an necessitatem naturæ fallentis? quodcumque paullo exquisitius ferculum reiicientis, induentis interiores vestes attritas obsoletasque ea una de causa, ut aliorum miseræ inopique vitæ adjumenta ferret; Pastorem Divinum imitatus, qui *cum esset dives, propter nos egenus factus est, ut illius inopia divites essemus*. Non me latet memoria vetera atque adeo recentia quoque revocantem fuisse quam plurimos, qui vere disperserunt, dederuntque pauperibus, quorum pecunias in cælestes thesauros manus pauperum deportarunt, qui tamen egenos seipsis cariores habe-

rent, qui rerum sibi necessariarum dispendio sublevandas aliorum miserias putarent, ut nonnullos mihi persuadeo fuisse Barbadico pares, ita neminem arbitror superiorem. Dies me deficiat si in eo genere charitatis singula persequar benefacta, & singulos benefaciendi, admirabilesque modos, quorum similia vix ulla (ut equidem judico) certe pauca Historia tota litteris consignata servat. Quæ quia vobis æque atque mihi notissima sunt ab alimentis corporis ad illa cælestis sapientiæ pabula mea se se convertat Oratio, quibus animos bonus Pastor aluit, atque educavit; præsertim cum eam curam potiorem duxerit, ut si qui in Divinæ legis, ac Religionis ignoratione versarentur, eos prius divinis præceptis erudiri juberet, quam stipem acciperent. Sed amabo vos, inspicite hominem eminentissima fulgentem dignitate, nec bruma, nec æstu deterritum, horis incommodissimis adeuntem puerorum cœtus, ubi Catechesis Christianæ regulæ traderentur. Non vos detineat jucundissimum spectaculum Viri Principis? qui quasi parvulus inter parvulos, aut potius nutrix inter filiolos versatur, purissimæ doctrinæ lacte ut enutriat; rudes pueros de Fidei elementis interrogat, patienter audit, animos addit, diligentes laudat, socordes excitat, munusculis allicit, ad cujusque captum accommodate pro ætate, ingenioque rerum notitia divinarum imbuit, & omnia veluti mansa in os inserit. Me tamen alio major revocat admiratio, & ad eum suggestum cogitatio deducit, unde studiosissimus Pastor non *in persuasibilibus humanæ sapientiæ verbis*, *sed in ostensione spiritus ac virtutis* ad populum sæpissime concionem habebat. Instructissimus erat ille omnibus bonis artibus, ac laudabilibus disciplinis, adeo ut cum sui temporis litteratissimis contendere de præstantia posset, alienissimus tamen ab usitata nimis jactatione, atque com-

mu-

muni, exquisitam eruditionem suam, atque doctrinam minime ostentabat. Sed inde exhausto succo quodam, ac sanguine, unde dicendi vis, roburque existeret, effundebat ex imo pectore inflammatas charitate voces divino spiritu, ex assidua cum Deo consuetudine, sensuque plenissimas, sive ad vitiorum odium incitaret, sive ad virtutum amorem audientes accenderet. Cælestem sapientiam ex Hominis, quo de loquimur, ore fluentem deprehendit aliquando concionantem audiens Episcopus ille Eporediensis, qui admiratione obstupefactus pronuntiavit, atque adeo ad amicum suum quemdam Principem Eminentissimum scripsit, putare se non alia ratione Apostolos, ubi Pentecostes tempore acceperant Spiritum S. ad Judæos ac Gentes verba fecisse. Est mihi testimonium satis id unum, plura non quæro, nec alia vobis commemoranda censeo, ut intelligatis quantopere Barbadicus sapientiæ verbis commissum sibi populum imbuerit; & ad eam vos, opinor, non invitos Activæ Vitæ partem citius deduco, qua Vir sanctissimus omnibus omnia factus quæ quibusque erant pro conditione accommodata studiosissime suppeditabat. Verum mihi ad exitum properanti quam latus se se aperit ad dicendum campus, in quo vix, ac ne vix quidem exordientis Oratio satis libere, pro temporis brevitate posset excurrere! quocirca cum res explicare nequeam, singulasque inspiciendas sensim exhibere, rerum copiam coacervatam, quasi per transennam prætereuntibus, strictim aspiciendam subiiciam. Episcopi munus hominum regendorum discrimine, officiorum varietate, rerum administrandarum multitudine infinitum est, onus unius hominis humeris non sustinendum. Non haberet mehercule fidem Historia tantam rerum, quas Barbadicus confecit, molem complexa, nisi recens esset, & adhuc oculati testes existerent;

qui si faciunt ut tam mira credamus, non rationem ostendunt quamobrem credibilia esse intelligamus, nisi quod Christianæ vires charitatis ab alto acceptas, immensas esse probe cognoscimus. Diffusa in corde suo charitate Gregorius sufficit tot tantisque rebus agendis, semper intentus omnibus, quasi singulis, operamque suam aliis aliam, cuique hominum generi congruentem, qua verbo, qua scripto, qua exemplo navat. Quot quantasque curas intenderit ad Ecclesiastici Ordinis disciplinam promovendam, quantopere eorum, qui sacræ militiæ nomen darent, mores atque doctrinam exploraret, num illi spem satis bonam promitterent, num ista gradibus conscendendis responderet, quæ experimenta quamque accurata faceret de illorum scientia, probitate, prudentia; quibus aliorum æterna salus committenda esset, satis sit vobis ea scientibus meminisse. Nec me remoretur restituta, atque aucta Sacrarum Virginum disciplina, occupationis atque molestiæ plenissima procuratio, in qua ea vigilantia ac sedulitate versatus est, quasi id unum munus obiret: certe alium hominem illa gubernatio totum occupasset, præsertim cum incommoda quædam tempora incidissent. Vos, vos mea spectat Oratio, Patresfamilias, quos ut ad paternæ curæ officia compelleret, ad liberorum optimam institutionem excitaret, ad suscipiendam de familiarium salute sollicitudinem admoneret, ad fovendam domi pacem, concordiam, charitatemque doceret, nullum non lapidem Barbadicus movit. Vos appello ex morbo decumbentes lecto, ac præsertim in discrimine vitæ versantes, de quorum incommoda salute admoneri volebat, ut vos ne vocatus quidem inviseret, & morituris charitatis officia, atque adjumenta salutis afferret, minime retardatus aut morborum contagione, aut odorum fœditate, aut pauperiorum sordibus,

dibus, quin omnibus pro ſingulorum ſtatu ſuppetias ferret, morti autem proximos ſacramentorum ſubſidio, ſanctiſſimis monitis, conſtitutis ad vitæ exitum precibus communiret. Vos miſeras adoleſcentulas alloquor, quarum alias a liberiore cum viris agendi licentia revocandas omni ratione curavit, alias ex propinquorum negligentia inſidiis obnoxias e Parentum manibus abductas in tuto collocavit; alias ex anguſta re domeſtica in periculo conſtitutas ære ſuo alendas inſtituendaſque lectiſſimis fœminis tradidit. Quid cum fœmiuis miſere voluptatum cœno involutis ageret, malo in opihione veſtra relinquere, quam ego verbis explicare: Et quidem ad clepſydram verba faciens cogor Orationis filum abrumpere. Finem facio. Reputate hoc unum vos, ex quo intelligatis quanta ſanctitate in Activa Vita Barbadicus præſtiterit, cujus iſtæ erant uſitatæ voces: *Epiſcopi vitam ſitam eſſe debere in agendo*: *Epiſcopum decet pro Eccleſia laborantem mori*.

ADMIRABILIS

IN VITA CONTEMPLATIVA

II. ORATIUNCULA.

OCcupatiſſimæ vitæ ratio, quam Gregorius Barbadicus in regenda ſua adminiſtrandaque provincia conſtanter ad extremum uſque ſervavit, incurrit plane una primum in oculos, defixoſque in ſui admiratione ita tenet, ut in ſecretiora Eminentiſſimi Epiſcopi opera mentem intendere non patiatur. Sic ædificiorum frontes ac faſtigia ſpectantur, latent fundamenta. Adeſdum tamen parumper mecum. Intuere orantem ad multam noctem, aut mane ante Solis ortum duabus horis, interdiu vero

quantum ab officii episcopalis munere temporis superesset. Si minus intus inferre oculos concessum est, externum habitum corporis, vultusque circumspice. Hæret ille immobilis ita, atque usu sensuum destitutus, ut non hominem, sed hominis imaginem facile arbitrere. Ecquid isthuc esse putes? Divina quædam lux ejus animum suavissime pervadens, animi facultates illustrans, atque inflammans in sensus corporis interiores redundat, quos inexplicabili dulcedine perfusos, suspensos detinet in Deum, quem ipsa Divina lux, clarius quam Fides communis soleat, contemplandum exhibet. Interiores autem sensus in animæ, ut ita dicam, centrum receptos externi quoque, nescio cujus concentus illecebra, aut unguentorum odore quodam jucundissimo pellecti sua sponte repente sequuntur, apum more, quæ in aliquem locum volatu contendentes, aut cymbalorum tinnitu, aut noto herbarum succo de medio cursu retrahuntur, & *ipsæ confidunt medicatis sedibus*, *ipsæ intima more suo se se in cunabula condunt*. Si hujusmodi Barbadici, quod minime verear dicere, simulacrum os habet, & non loquitur, oculos habet, & non videt, aures habet, & non audit, manus habet, & non palpat, nares habet, & non odoratur, neque clamat in gutture suo, fortunate beateque sibi torpens, & iners est; quippe non opus manuum hominum, sed Omnipotentis manus. Quamquam perpetua non est illa hominis immoti quies, neque integrum plane illud silentium, cum aliquando concutiantur latera, cubiti collidantur, & quidam non satis distincti gemitus exaudiantur. Equidem hanc orandi rationem minime expertus in sola rei admiratione consisterem, nec verbum ullum proferrem, nisi religiosissimi, doctissimique Magistri præirent, qui experientia comperta tradiderunt. Hanc nimirum illi amoris vocant ebrietatem.

tem. Ex illo enim amoris gaudio, quasi ex vini fortitudine (*S. Bonav. process. 7. c. 15.*) *fervor Spiritus Sancti sic hilarescit, ut se intra se cohibere non possit*. Cum igitur orantem tremere aliquando videam, & haudquaquam posse se intra se prorsus tacitum continere cum audiam, satis intelligo Barbadicum divino amore per sublimem contemplationis gradum *inebriari*. Quod si non gestus inusitatos, non impetus immodicos, non saltus specie inconcinnos in eo deprehendas, quos non raro legimus in Viris sanctimonia præcellentibus visos fuisse, vide sis ne ex hoc reputes Barbadicum in imo hujus beatissimæ ebrietatis gradu consistere. Immo vero ea demum est perfectissima ebrietas, quam non sensus prodit, sed ratio continet, quæ non corporis, sed animi facultates impellit, & commovet, cujus non tyrones in hac divini Amoris militia sed stipendia emeriti porticipes sunt, quam denique ebrietatem non mustum, ut ita dicam, sed vinum parit. Neque id temere dico. Si ad ea Jobi: en *venter meus, quasi mustum absque spiraculo, quod lacunculas novas disrumpit*, Doctor, qui a Seraphim nomen duxit, *novas*, inquit, *non veteres, vel quia veteribus cordibus non infunditur talis devotio, sed novas, scilicet in novitate vitæ ambulantibus: vel novas, quia talis fervor spiritus novis & nondum exercitatis mentibus nuper infusus minus valet se cohibere quin erumpat; sic novum vinum in vase ebullit, quod inveteratum quiescit*. Quid tamen disputo coniiciendo, quod evincere possum plane videndo? Video flammis accendi faciem, video caput radiis circumdari, video ex uno Clavo, quo sacratissimum Christi corpus confixum fuerat, emanantem lucem per medium illustratum aerem in Barbadici vultum impingere, jamque ita auctam & circumfusam, ut, quasi Solis imagine in nube repercussis radiis Solem alterum referente, Cla-

vus a vultu, vultus a Clavo fecerni amplius non poffit. Jam Moyfis mihi venit in mentem, jam Francifci Affifinatis reminifcor, jam Philippi Nerii... fed multitudine obruor eorum, quorum radiis corufcantium fubit recordatio, nec tam refert exempla fimilia perfequi, quam cujus rei ea fint argumenta intelligentia complecti. Audio ab iis, qui myfticam doctrinam callent, hæc iis folere contingere, qui ad fummum contemplationis gradum pervenerint, quorum mens divini Amoris incendio undique circumdata, intime perfufà, undequaque inflammata fe ipfam penitus exuit, divinum quemdam affectum induit, quo in eum, quem diligit, transformatur, verbo, eorum hæc propria funt, quorum adhærentium Deo unus fpiritus eft. O beatam hominis conditionem in terra divinam vitam viventis, fi perpetuam, propriamque poffet obtinere! At non pigeat e Paradifo voluptatis egredi, id poftulante Domini gloria, & aliorum falute flagitante, in fuaviffimum iterum Dei finum rediturum. Totus eft Barbadicus in aliorum commodis procurandis, dies, noctes, totam vitam ad aliorum utilitatem impendit. Dies tamen aliquot fingulis annis fibi fumit, quos, depofita aliarum curarum farcina, integros Dei colloquio, atque confuetudini tribuat. Ito, Gregori, quo tuus te fpiritus fert, ut liberius liceat ingenti, quo exæftuas, amori indulgere, ac deliciis, quibus folet divinus Amor fui amantes replere, diutius frui. Jam ille aliquando fuus, remotis arbitris, negotiis fepofitis quibufcumque aliis, præftolatur *cum filentio falutare Dei*; præftolatur, & illapfa luce defuper veniente, quæ mentem illuftret, cor inflammet, attonitus id unum, quod vere eft, quia unum ex fe eft, fpectat, cæterorum oblitus, & fui quoque nefcius; nifi quod guftat, & videt *quoniam fuavis eft Dominus*, eo fuavior quo peculiari modo pro-

pin-

pinquior, atque præsentior. Nunc vero cum invevenerit quem diligit anima ejus, ecquis mihi referat aut hominum aut Angelorum (siquidem Angelicæ potius quam humanæ mentis est talia intelligere) quis mihi quid nunc intus agat Gregorii Spiritus significabit? Immota mens in Deo est, cujus bonitatis, sapientiæ, pulchritudinis divitias, qua mensura datur, contemplata admiratione corripitur longe majore, quam si quis natus cæcus admirandum hoc universæ naturæ spectaculum visu repente donatus adspiceret. Inspecta pulchritudine tanta audire mihi videor, & quidem crediderim Beatorum simili quodam modo, identidem repetentem *dilectus meus mihi & ego illi*: mihi videor illum videre inter amantis amplexus, atque oscula: illos amplexus, quos sibi Sponsa aliquando promiserat; *dextera illius amplexabitur me*; illa oscula, quæ tantopere concupiscebat; *osculetur me osculo oris sui*. Intueor mentis oculis *sub umbra illius*, *quem desideraverat* sedentem, & fructum *gutturi suo* dulcem plene gustantem. Nunc alienis cogitationibus, quibuscumque remotis, sollicitis quorumcumque affectuum motibus sedatis, ille ipse, qui removit, atque sedavit amantissimus sanctarum animarum sponsus *declinavit super eum fluvium pacis*. En ille in sinu Dei sui, velut in centro lapis, aut unda in mari, aut in orbe suo ignis, aliquando conquiescit. Ex illa quiete, velut ex fonte, dulcissimi latices illi effluunt, qui aucti non interrupte animi primum facultates, tum interiores, tandem exteriores sensus hominis beatissime irrigant, & somnum quemdam spiritus afferunt, quo in amabili Dei sui sinu sopitus obdormit, ita tamen obdormit, ut eodem tempore cor ejus vigilet. Crudelis mihi viderer, si suscitarem, & *evigilare facerem* dilectam animam, quoad usque ipsa divino somno frui velit.

Qua-

Quare libenter conticesco, & inenarrabili Divini soporis gaudio fruentem relinquo. Ex illo enim refectus somno alacrior, aptiorque ad laborandum ad aliorum utilitatem opportune evigilabit.

I. Operatio Virtutum.

Hostis avernalis ferro vastabat, & igni
Pinguia rura, boves, prata, vireta, gregem.
Hæc ubi Gregorius vidit, quid cæde triumphas
Perfide? ait; colla terenda dabis.
Aspiceres illum vicina strage paventem,
Versantemque imo tristia multa animo.
Pastor abit. mille iste vias, artesque nocendi
Cogitat, extremum quo ferat exitium.
Post cava saxa latet; valido dehinc impete saxum
Vellit, de summo præcipitatque jugo.
Heu pietas! capiti jam jam saxum imminet ingens:
Heu fugito, heu nimium Pastor ovilis amans.
Ille nihil; dextram tantum cum lumine tollit:
Mirum! saxum alia parte repente ruit.
Quid faciet totis cum invadet viribus hostem?
Jam potes inferno, dire, latere specu.

II. Donum Intelligentiæ.

Heu quæ præripuit mihi nubes invida lucem?
(Gregorius queritur; questus amoris erit.)
Lux quid amica fugis? pro quis caliginis horror
Incubat! & medio in lumine lumen abest?
Qui pote? si aerios radianti lumine colles
Arduus, & rutila lampade lustrat humum
Sol, vallesque humiles, tumidique ingentia Ponti
Æquora, Gregorio nox tegit atra oculos?
Stultus ego nimis ah rerum inscius arcanarum!
Gregorio in tenebris candida quanta micat,
Pura-

Puraque lux, rutilum ſuperans lux fulgida ſolem,
Cum medio flammas evomit axe ſuas!
Attamen in nivea caligo plurima luce eſt:
Quo magis iſta nitet, hoc magis illa riget.
Talis ab ætherio lux fulgentiſſima cælo
Labitur, humanis invia luminibus;
Lux quæ nigranti rerum in caligine monſtrat
Quod noſtris non eſt cernere fas oculis.
Incertus poſſis nebuloſam dicere lucem,
An nubem, quæ albo lumine operta nitet.
Spiritus ipſe lubens ſubit in præcordia Sanctus
Gregorii, & mentem pertrahit ulterius,
Ulteriuſque Deum infinita in luce tuendo;
Sed tandem ulterius mens penetrare nequit.
Illius en oculis candenti luce coruſcat
Flammanti reſidens imperioſa Throno
Majeſtas, totoque nitet pulcherrima vultu.
Gregorius ſecum, haud eſt, ait, iſte Deus
Atque ſimul varios hominum quæ dirigit actus
Adſtat, centenis prædita luminibus
Conſcia venturæ penitus Prudentia ſortis.
Gregorius ſecum, haud eſt, ait, iſte Deus.
Hinc adſtant vires, dextramque Potentia tollens,
At Deus eſt major; conditus ille latet.
Sic quoque, dum medio fulget Sol aureus orbe,
Obrutus oppoſitis nubibus ille ſubeſt:
Nec tamen ignores qua Cæli parte coruſcans
Splendeat, elucens nam fluit inde jubar.
Haud ſecus in dubiis ſpeculatur ſedulus umbris
Gregorius ſuperi Numinis effigiem;
Atque illam intento ſpeculatur lumine ſenſim,
Et videt obductum non procul eſſe Deum.
Quod videt haud viſum, cupit hoc, hoc conſpicit unum;
Illius ingenti flagrat amore animus.
Ardet amans, miraque hilaris dulcedine geſtit:
Quin acres illi ſubdit Amor faculas.

Hinc

Hinc magis ardet amans, dulcique in amore liquescit,
Nulla hinc pax animo, nec datur ulla quies.
Sed magis atque magis flagranti exæstuat igni,
Sensim illabi sentit amore animam.
Splendidus ipse micat, puraque in luce refulget,
Mensque nitet rutilis æmula sideribus.
Ille per ætherias volitat nitidissimus auras,
Despiciens terras arduus & maria;
Inviaque æterni penetrat secreta Tonantis,
Et gaudet superas transiliisse domos.
Candidulas Amor ipse alas, pennasque volantes
Præbet, queis tutum dirigat altus iter.
Ac veluti liquidas volucrum regina per auras
Solis in ardenti lumine fixa manet,
Gregorius sic ante Deum consistit, & haurit
Intuitu humanis non referenda modis.
Sed tamen umbra manet, circum levis ingruit horror,
Et quem quærit amans abditus ille latet.
Hinc magis ardet amans, magis & quo distat ab illo,
Hoc magis ardet amans. subdit Amor faculas.
Atque o parce, ait, alme Pater, pro qualia cerno!
Qualia suspensum cor animumque tenent!
Parce, precor, rutilamque tuam vel subtrahe lucem,
Vel da te totum cernere posse, Deus.
Interea lætatur Amor, ridetque querentem.
Atque meum est, gaudens concinit, istud opus.

I. Gratia Sanitatum.

Ceu turba agrestum campos ingressa patentes
Incurvam circum longo rotat ordine falcem,
Herbasque, & teneros nullo discrimine flores
Sternit humi, haud aliter non exorabilis ensem
Fulmineum rotat irato mors horrida vultu,
Et pariter senibus, puerisque extrema minatur,

Fu-

Funera. Sed nostrum cæloque ereboque potentem
Gregorium adspiciens, vires oblita priores
Miraturque, stupetque, simulque trementibus ensem
Proiicit e manibus, meditataque funera linquens,
Sæpe tuens retro fugit indignata sub umbras.
Ah fuge terrificum procul hinc in tartara monstrum,
Ah fuge: Gregorius, rerum cui maximus auctor
Concessit solitas naturæ invertere leges,
Semianimique procul tristes depellere morbos
Corpore, & optatam revocare in membra salutem,
Sic jubet: ante illum subito febrisque, luesque
Tabida, mille atro liventia vulnera tabo,
Et morbi fugiunt, nec non genus omne malorum.
Ut cum mane novo rutilanti luce coruscam
Sol faciem roseis ostendit ab æquoris undis,
Nigrantes umbræ, caligantesque tenebræ
Diffugiunt, lux pura nitet, nidoque loquaces
Prosiliunt volucres, iterantes gutture cantus,
Ægri ita prosiliunt stratis, & carmine læto
Incolumes patrem, servatoremque salutant.
Salve, o magne Pater, cælo gratissime salve,
Quem mors ipsa timet, sequitur quem vita salusque,
Vive diu, charamque tibi ne desere gentem.
Quid memorem ut mulier, cui mortifer intima cancer
Viscera corrodens multis pascebat ab annis
Olli debuerit subito servata salutem?
Accurrit fidens, chlamydem modo prætereuntis
Illius arripuit furtim, morboque latenti
Applicuit, mordax extemplo evanuit ulcus,
Signaque nulla manent sanato in pectore morbi.
Scire piget post tale decus, vestigia claudis
Consolidata pedum, curataque vulnera, & ægros
Ereptos toties medio de limine mortis.
Cum tot vivus adhuc miranda peregerit ille,
Quid mirum, superum si nunc in Sede locatus
Grandia tantarum peragit miracula rerum?

Vos

Vos meministis enim, vos & memorare potestis ....
Ipsa immo memorare potes, potes optima Virgo
Sacra Deo, ut quondam saxo percussa jacebas.
Ecce repente ruens tecto descendit ab alto
Saxum ingens, vulnusque ferens, mortemque nefandam,
Incidit in caput, & cranium perfregit; at ipsa
Volveris exanimis, multus fluit undique sanguis,
Et dispersa jacent infracti frusta cerebri.
Plorantes lapsam referunt in tecta sorores;
Undique fit gemitus, restat spes nulla salutis.
Nil medicæ potuere manus, herbæque potentes,
Sed summis munita sacris, defletaque morti
Proxima, vix animam jam jam moritura trahebas.
At cum plena fide supplex in vota vocasses
Gregorium miseris solitum donare salutem,
Protinus incolumis, stratoque repente relicto
Mirantum turba circum stipante sororum
Incedis gaudens, te te prosternis ad aram,
Humidaque ad Patrem convertis lumina, sed nec
Lumina, nec poterant expleri corda tuendo.
Gaudia ubique, stuporque simul, simul alta novarum
Undique Gregorii resonant præconia laudum.
Eja agite o properate viri, juvenesque, senesque,
Quos tenet ulla lues, animatque in fervida vota
Pura fides; nam posse graves cohibere dolores
Gregorium, sacras quæ plurima pendet ad aras
Picta tabella docet: monumenta æterna salutis.

II. Donum Sapientiæ.

Jam videt, & visis fruitur stupefactus, amansque
Gregorius. Lux o deliciis animam
Pervadens totam, totam exundantibus (unde
Nescio quod nectar, nescio quive sapor
Ignotus terris, notus cælestibus oris,
Egeritur, præsens quo cito Numen adest.)

Hoc-

Hocce tuum totum, Lux o clarissima, munus;
Per te Gregorius prospicit, & fruitur.
Ecce silent extra sensus, intusque quiescunt:
Interiori Animæ jam Deus, ecce Deus
Insidet: illa sui gremio requiescit Amantis:
Æthereo totam melle sed iste rigat.
Gaudia Gregorio nemo ab sua rumpat amanti,
Gustet quod cernit Numen, ametque diu.
Ah quis Gregorii mihi nunc nova gaudia narret,
Quidque gravi abreptus corpore prospiciat?
En videt ille Dei pulchra sub imagine formam
Hærens, qua non est altera candidior.
Atque simul Bonitas illi se pandit amico
Lumine, qua non est altera amabilior.
Et videt... at quali tactus dulcedine gestit,
Et cor angelicum possidet ecquis amor?
Qualis mellifluo pectus torrente voluptas
Mulcet, languidulam, quæ fovet usque animam?
Gregorius languet, cælesti languet amore;
Quin cupit exardens tali ab amore mori.
Hoc quid, quod tacite tam dulcia suscitat intus
Gaudia, quæ totum corque, animumque beant?
Vos o Cælestes Animæ, gens incola Cæli,
Queis est ista datum gaudia posse sequi,
Vos quæ stelligerasque domos, & candida pacis
Regna, inter lætantum agmina Cælicolum,
Æternum colitis, vos gaudia dicite amantis
Gregorii, & sanctas dicite delicias.
Ille creatarum cernit miro ordine rerum
Congeriem, & dulcem percipit harmoniam,
Concentumque inhians circumvolventis Olympi
Obstupet, atque avida combibit aure sonum;
Cunctaque perpetuo resonantia carmine laudes
Audit, & Artificem concelebrare suum.
Hinc sonat haud cunctis nota dulcedine cælum;
Jucundum repetit lætaque terra sonum.

Hinc

Hinc ſonat Æquor aquis, circum & lætantibus undis
Neſcio quid ſuavi murmure dulce fremit.
Sum pulcher, medio fulgens nitidiſſimus orbe
Sol ait, & repetunt ſidera, pulchra ſumus.
Nos pulchræ volucres, pulchro nos culmine montes,
Nos pulchri flores, gramina pulchra ſumus;
Pulchrior, at clamant, pulchri Regnator Olympi
Eſt Deus: ex illo defluit iſte decor.
En quæ Gregorii lætas circumſonat aures
Harmonia, ardentem quæ rapit ipſi animam.
Jam modo Gregorius divinum ſentit odorem:
Pro quis præſenti Numine ſpirat odor!
Blandus odor, ſuperans conjuncta opobalſama amomo,
Thuraque cum grato & cinnama mixta croco.
Gregorius caſtos avide ſectatur odores,
Adproperans ſanctum Numinis in gremium.
Scilicet ætherias ſumens Sapientia flammas,
Balſama, & in flammas cinnama mixta jacit.
Ambroſius flammis ſuffitus tollitur. uſque hic,
Gregorius, noſtrum cor requieſcat, ait.
Gregori, erit alias æterna hæc gloria Thabor;
Calvariæ ſed adhuc culmen adire juvat.

DIŒCESIS LUSTRATIO

Mœris Activæ, Ægon ſenior contemplativæ vitæ partes perſequitur.

M. *Fallor? an ille Senex formoſi gloria ruris,*
Quem nemora, & ſilvæ multos videre per annos
Paſcentem pecus, ac toties ſenſere canentem,
Nunc ætate gravis linquentes paſcua ſero
Veſpere mulget oves; tum pura coagula miſcens
Lac denſare novum, gyroque aſtringere gaudet,
Ille Ægon venit huc? Ægon dulciſſime ſalve:
Quæ cauſa has iterum cogit te inviſere ſilvas?

Æ.

Æ. *Huc, o Mœri, feror ferventi languidus æstu,*
Ut corylos inter, quæ sole abeunte susurrat
Suavius adspirans artus mihi recreet aura.
O silvæ, queis me dudum procul abstinet ætas,
Ut vos nunc inviso lubens! salvete recessus,
Salvete, o fagi, o coryli; ut crevistis, ut altos
Circum jactatis ramos! tamen ipse recordor
Cum Daphnis, qui nunc felix tenet ardua Olympi,
Sevit humo teneras. (M.) *O sacrum & amabile nomen!*
Quam dulcis menti species se Daphnidis offert!
Nunc memini illius quæ olim mihi grandia facta
Narrabat genitor, cum mente futura revolvens,
Mœri o, dicebat, Daphnin coluisse memento;
Ille cito nostris positus vota audiet aris.
Æ. *At mihi quæ vidi, nunc inclyta Daphnidis acta*
Hæ menti revocant silvæ, jam nunc subit ipsa
Oris amabilitas, subeunt dulcissima verba,
Quamquam prima genas mihi vix lanugo tegebat.
Sed quoniam hæc jucunda tibi audivisse voluptas,
Dulce tibi fuerit vel nunc audita referre.
M. *Pro quali hæ silvæ quondam squallore rigebant,*
Et circum quantis horrebant pascua dumis!
(Narrabat genitor) secuit mala gramina Daphnis,
Et dedit arboribus, dedit & florere salubri
Gramine; tum horrificos turbare cubilibus angues,
Immanesque lupos, ursosque arcere nocentes
Non timuit; Daphnis rivos inducere pratis
Instituit primus, primusque subegit aratro,
Non ferro, aut ullis prius arva exercita rastris.
Æ. *Et quales tolerasse putas, quantosque labores?*
M. *Qualis ubi carum morbi vis effera natum*
Corripuit, mater tristi mœstissima lecto
Assidet usque vigil, nescitque recedere, semper
Prompta Parens, æger si quid cupiatve, petatve,
Nunc validi succi, aut insuavia pharmaca tentat,
Si qua ferant nato forte opportuna levamen;

Talis is inter oves; ut morbo si qua latenti
Forte gravaretur, valido medicamine diram
Sedulus ægroto pellat de corpore pestem.
Et quoties magnis dum lustrat ovilia curis,
Ille trahit longas somni sine munere noctes?
Quid quod, ut inculti colles horrentiaque arva
Induerent formam posito squallore nitentem,
Adstitit usque vigil Daphnis? jamque invia saxa,
Jamque cavernosis circum nemora horrida lustris
Impavidus penetrat, silvas & circumit omnes;
Quacumque incedit steriles divellit avenas,
Pro filice, & nocuis dominantibus undique lappis,
Fructiferas oleas, atque hordea grandia ponit.
Non imbres illum, non fervens detinet æstus.
Æ. *Parcite vos imbres, tu fervens parcito & æstus.*
M. *At Deus, ecce Deus: mens Daphnidis ecce repente*
Lumine cælesti divinitus irradiata
Grandia amabilibus aperit mysteria verbis.
Huc o Pastores omnes accurrite, adeste,
Daphnidis attentæ documenta infigite menti.
Ecce docet quæ cura ovibus sit habenda regendis,
Quo succo arcendæ pestes, quanam arte cavendum,
Ne teneros furtim fœtus populentur ovina
Tecti pelle lupi; sed qua o dulcedine sensim
Pastorum quacumque libet cor versat, agitque!
O fortunatos nimium, quibus aurea verba
Fas audire fuit, vultumque videre loquentis,
Luminaque æternum semper spirantia amorem!
Felices pecudes, quas ipse ad pascua duxit,
Felices! vocem, atque manus sensere medentis.
Æ. *Sic, ubi vere novo sonuere tonitrua cælo,*
Nuncia vicini pratis sitientibus imbris,
Exultat Natura, sinuque latentia terræ
Semina fœcundans molli loca germine vestit,
Ut mihi, Mœri, tuo nunc carmine dulciter intus
Cor gestit, visisque iterum mens excita rebus

Mi-

Miraturque, stupetque lubens, majoraque dictis
Daphnidis acta gravi gliscit super addere cantu.
M. *Sic dii prospiciant dextro te lumine: da quæ*
Ipse tuis oculis vidisti in Daphnide. (Æ.) *vidi*
Vidi ego divino Daphnim splendescere honore,
Et radiis, & multo lumine circumfusum.
Sæpe ille occultam Naturæ vim omniparentis,
Atque creatarum spectans miracula rerum,
Ecce repente velut rapidis super æthera pennis
Mente volat, Numenque, opera omnia ubique potenti
Quod creat imperio, pulchroque sub ordine servat,
Ingens, immensum attonitus miratur, & hæret.
Vos herbæ, & plantæ, vos colles, flumina, & amnes
Vos rapidæ ventorum animæ, vos sidera cæli,
Et genus omne avium, & genera omnia quadrupedantum
Quæque suam certo speciem servantia fœtu
Daphnidi Factoris cuncta afflabatis amorem:
Et quoties per vos, quasi per vestigia, sensim
Naturæ Auctorem se se attollebat ad ipsum,
Noscebatque Deum! referebant omnipotentis
Numinis immensas circum olli opera omnia dotes.
M. *At qui terrenæ miracula materiai*
Contemplans poterat mortali impervia menti
Nosse arcana Dei? qui atra caligine mersus,
Qui nec materia, nec terræ mole gravatus
Ignotusque latens sub sensus ire recusat?
Æ. *Haud mens se sistit mortali in imagine, visis*
Vix rebus, fugit hinc, tranans liquidi aeris oras
Immensum cæli vestigat in ardua lumen.
Ut pila, quæ nisu ludentium in aera jacta
Sæpe huc pulsa cito ruit impete, & inde repulsa
Itque, reditque viam, si forte aut longior illa,
Aut brevior veniens ludentis brachia fallat,
Decidit in terram, subitoque celerrima saltu
Illico subsiliens ludenti aptissima surgit;
Sic mens æternum cupiens deprehendere Numen,

Quidquid habet tellus, mare, quidquid maximus Æther,
Lustrat, ubique Dei inveniens vestigia dextræ:
Mox hæc linquit, & assurgens rapidissima cælo
Defigit cupidos mage grata in imagine visus.
M. *At formam cernit: forma Deus abstinet omni.*
Æ. *Etsi se nitidis spectans Narcissus in undis*
Flaveolos crines, atque oris amabile lumen,
Fallacem speciem, quam limpidus exhibet amnis,
Aspicit admirans, oculisque stupentibus hæret,
Cogitat in ficta veram mens lucida formam,
Gaudet, gestit, amat, placet, & sibi plaudit in illa;
Sic dum corporei mortales undique formas
Aspiciunt oculi, mentis vis insita ad illum,
Omnia qui fecit, per quem stant omnia, fertur
Illico, & obtutus in amato lumine pascit.
M. *Si rerum adspectus sensuque animaque carentum*
Ad cœli Daphnin poterat rapere ardua; quid cum
Dilectas spectaret oves, quid fecerit? (Æ.) *audi.*
Daphnidis ut vocem audierant, & sibila nota,
Illico oves aderant oblitæ gramina, & illum
Auribus intentis stabant longo ordine circum.
Ast ego (namque aderam) Pastorem tempore eodem
Numen ad optatum mentemque animumque ferentem
Vidi aliqua ardentis solatia quærere flammæ.
Vertebant ut Oves ejus se ad sibila nota,
Utque trahuntur acus, & acumina convertentes
Ignotis lapidi compulsæ viribus hærent
Tum, cum magnetem in medio sensere jacentem,
Sic Daphnin sensus, imoque in corde latentes
Affectus dulci rapiebant vinculo amoris
Interiora animæ revocatum ad gaudia, amantum
Queis divinus Amans intus cor suaviter urit.
M. *Haud equidem video supra ut mortalia raptus*
Et gustare Deum, simul & mortalia posset
Cernere, & externis curas intendere rebus.
Æ. *Nuper ego Codrum verbis affabar amicis,*

Et

Et simul attenta alterius verba aure recepi.
Aspice, tibicen chordas ut pollice tentat,
Percurritque notas oculis, simul ebibit aure
Harmoniam, pedibus metitur labile tempus.
M. *Eja age festivo celebremus carmine Daphnin.*
Tu cane divinæ secreta incendia flammæ,
Illius innumeros dicet mea Musa labores:
Jam resonent late silvæ, & vaga flumina Daphnin.
Æ. *Desine plura, alias dicemus Daphnidis acta:*
Sol cadit, en noctis gelidæ de montibus umbræ
Surgunt, & saturæ redeunt ad ovilia capræ.

Conclusio.

O Tu, cui vel in hac tenebrosa valle moranti,
Qua nos huc illuc decepti ambage viarum
Erramus miseri, cœlo lux tanta sereno
Fulsit, ut ipse gradu posses insistere recto,
Atque Ovibus monstrare viam Pater optime, quando
Lucem nunc habitas, & luce habitaris ab ipsa,
Per, quo nos olim complectebaris, amorem,
Si sit purus amor longe perfectior illic,
Et magis, atque magis modo nos Tu diligis omnes,
Ah precor, alme Pater, vera de luce coruscum
Emittas radium, qui nos erroribus actos,
Ceu rutilo igne nitens obscura in nocte Columna,
Dirigat, & faciles demonstret lumine calles,
Ut tandem tecum stellata in Sede recepti,
Quo nos ipse vocas, communi luce micantes
Felicem æterno ducamus tempore vitam.
Ite Horæ, properate citæ: Pater oscula Natis
Miscebit, Patri ah! miscebunt oscula Nati.

Anno 1764. Mense Augusto.

UTRUM CLEMENTIS XIII.

SUMMUS PONTIFICATUS

Patavinæ Civitati justior sit mœroris, an gaudii causa.

PRÆFATIO.

QUod quindecim ab hinc annis hoc ipso in loco, hoc tempore, simili corona stipati, multis etiam ex vobismet ipsis audientibus, novo Pastore CAROLO REZZONICO ad Patavinæ Ecclesiæ regimen jam jam adventante (*vid. fin. hujus cert.*) ominati sumus, quodque tribus fere ab hinc mensibus eodem ad Romanam Sedem accedente, præsensione aliqua publicæ, non sine quadam animi perturbatione suspicati eramus fore, ut ad celsissimum illum dignitatis locum, quo in terris nullus est sublimior, eveheretur, id manifesto Divino consilio, sapientissimo Purpuratorum Senatus judicio, ingenti omnium bonorum desiderio, exultanti totius Christianæ Reip. gaudio, certo Ecclesiæ Catholicæ bono, fortunato Venetorum auspicio, peculiari autem nostræ Civitatis ornamento, paullo ante evenit; evenit, & nobis gaudemus, vobis, Audit. ornatiss. gratulamur. Quid ego inter tot plausus, acclamationes, vociferationes, inter tot sonitus, cantus, strepitusque festivos, inter tot divinas laudes, sacras gratiarum actiones, supplicationes, inter tot præstantium Oratorum, Poetarumque præconia, inter tot arte laboratos ignes, & nocturnas faces in viis omnibus magna celebritate accensas, inter tot, tamque diuturna communis hilaritatis indicia, in hac, prope dixerim, evulsione to-

totius Civitatis in lætitiam effusissimæ, quid summam animi mei voluptatem verbis apud vos testari desiderem, qui, quemadmodum ego de vestra, ita & vos de mea probe, planeque persuasi estis? Mutua potius gratulatione fruamur, quos in omnium Regnorum, omnium Rerumpublicarum, omnium Populorum, omnium Civitatum lætitia supra cæteros lætari par est. Quamquam, ne dissimulem, hilaris vultus obtegit infixum animo dolorem, lætæ voces comprimunt querelas e pectore erupturas, ac tota externa species, ex intimo quidem producta gaudio, intimum tamen doloris sensum obnubit; ut admirabile videatur, duos contrarios affectus ex uno eodem fonte manare. Atqui quod ipse in memet experior, etiam in familiari sermone Cives vulgo minime clam habent, & Poetæ typis testantur, & in publicis Concionibus Oratores dixerunt. At quemadmodum certum est tantæ rei in humanis omnium maximæ nuntium & lætitiam repente gestientem, & eodem ictu temporis illabentem tacite in animum tristitiam attulisse, ita illud ambiguum est in his duobus adversantibus invicem animi motibus cujus causa justior extiterit. Velitis, jubeatis Audit. ornatiss. id ut disceptemus? Licet: quippe & absentis singularis modestia non prohibet nos excurrere per ejus laudes, & præsentium in Clementem XIII. studiosissima voluntas inflammat.

JUSTIOR EST MŒRORIS CAUSA.

I. ORATIUNCULA.

Vereor ne inepta, atque adeo injuria huic tempori mea videatur Oratio, si in communi tantaque lætitia mœroris causas conquiram, quæ ex omnium in terris maximo alterius bono, & celsissima excel-

fissimi Viri, dignitate, atque gloria, si minus invidiæ, φιλαυτίας certe, honesto cuique improbandæ, suspicionem iniiciant. Dicam tamen quod sentio. Æquissimum est nos ex recenti felicissimo nuntio ita gaudere, ut, si apud nos Carolus Rezzonicus adhuc esset, & per nos liceret, e Patavina Cathedra non modo votis, sed ipsismet nostris manibus, atque humeris in Romanam esset exultantibus animis, ac lætissimis vocibus inferendus. At vero cum ipsi nos officio demus quod justum est, quis interim ita inhumanus erit, qui erepto nobis parente optimo, quem quantopere, quanto amore, quantoque studio prosecuta sit, prosequaturque Patavina Civitas malo in tacito judicio vestro relinquere, quam in Oratione mea ponere; ecquis non ferat nos gestientes alioquin ex ejus gloria, atque impotentes præ lætitia, si in hoc dissidio orbitas nobis accidit intolerabilis, cum neque meminisse, neque oculos vertere, neque gressum facere, nec tandem in hominum congressus prodire, communesque omnium sermones audire possimus, quin nos illum amisisse vehementer doleamus? Recurrit animo secum tacite cogitanti adspectus ille suavissimus, ea vultus hilaritas, ea intuitus benignitas, quæ una omnes, qui adspexissent, non secus atque aeris serenitas, recreabat, exhilarabat, beabat. Recurrit illa nativa & minime fucata elocutio ex ejus virtutis, ac sapientiæ fonte profluens, qua se tantum supra cæteros efferebat, quantum honore, dignitate, omnisque laudis genere præstabat; cum publice Audientes tum ad calamitates expiatione scelerum deprecandas, tum ad amplexandas virtutes, tum ad divinas concinendas laudes, & agendas pro beneficiis supremo Numini gratias, ille pro singulari sua & in Deum religione, & in nos benevolentia, nostræque utilitatis cupiditate ardentissime, amantissimeque incitaret. Recurrit illa eximia co-

mi-

mitate condita gravitas, illa composita in dignitate tanta, facilisque natura, qua accedentes quosque excipiebat, afflictis solatium, nutantibus consilium, recta euntibus calcar, errantibus receptui signum, quibuscumque tandem levamen, auxiliumque libentissime præbebat. Hoc ipsum tempus quo loquimur, hic ipse locus, quem sua præsentia honestare solebat, in mentem revocat, quoties nos intra hosce domesticos parietes inviseret, quanta humanitate Musis nostris interesset, quanto favore industriam nostram excitaret, quantopere animos nitentibus adderet, tardioribus stimulos subderet, ad pietatis vero, ac disciplinæ cultum quam impense omnes alliceret, atque inflammaret. Tantum igitur in summa potestate modum, tam incredibilem sapientiam, ac prope divinam, tam inusitatam humanitatis suavitatem sine ardentissimo illius desiderio, maximoque ex ejus absentia dolore possumus meminisse? Excitabis, opinor, me domo ut exeam, quo spectaculis ubique se se obiicientibus, & resonantibus undique festivis vocibus a mœrore ad hilaritatem traducar. qua, sodes, iter suscipiam, quam viam ineam, quod forum adeam, quam semitam, quem callem, quem tramitem, quam, pene dixerim, domum subeam, ubi non præteritorum talis excitetur memoria, quæ Præsulis desiderium non acerbum efficiat? Hac, & illac, & quacumque ego euntem, & redeuntem memini sæpe sub specie panis latentem Deum tanquam unum e populo, admirando pietatis documento, nulla aeris incommodi ratione habita sectantem, in omnium sine discrimine & Nobilium ædes, & Tenuiorum domunculas pedem inferentem, consolaturum laborantes morbo, fausta precaturum, divinam opem imploraturum, humanam opem pro indigentia allaturum. Memini per hasce easdem vias cibi potusque, ac tantum non sui oblitum pomeridianis

ho-

horis labori importunissimis puerulos conquisiisse, & quanta sedulitate! ad cælestis doctrinæ pabulum deduxisse, & quam libenti voluntate! prima Fidei rudimenta tradidisse, & quanta charitate! quod profecto facinus ex suamet demissione magnificis triumphis nobilius quemadmodum spectantibus gaudii lacrymas eliciebat, ita nunc non potest doloris lacrymas non elicere recordantibus. Quæramus si quid usquam oculis obiiciatur, quod, sopita tantisper, quibus caremus, rerum memoria, superstite beneficio, dolorem leniat. Ingredior Templum dignitate princeps. Lætor, cum video magnificam molem ad tantam amplitudinem frequentibus, ingentibusque ejus, de quo loquimur, largitionibus eductam: voluptate perfundor, cum inspicio pretiosa peripetasmata, intertextas auro vestes, argenteos tum pensiles, tum stantes immanes lychnuchos: cum vero consessum illum Canonicorum longe nobilissimum, quo neque hæc, neque cæteræ Civitates nostræ parem habent, nedum illustriorem, ex quo (liceat uti proverbio) tamquam ex equo Trojano innumeri Viri omni Romana dignitate principes, prodiere, cum hunc Cœtum sacris operantem adspecto, recentia ornamenta dignitatis, & decora cum jucunditate suspicio: nisi, quod in eam partem incidentibus oculis, ubi ille sedebat, ille, qui tam splendida ornamenta attulit, & donaria contulit tam magnifica, date veniam, ille abest, hoc unum memini, cætera oblivifcor. Exeamus hinc, ne mœstitia nostra sacros cantus contaminemus. Vix exeunti se se offerunt illæ Ædes, ubi habitabat. Quod silentium! qui squallor! quæ solitudo! Hæ ne sunt Ædes illæ, quo tantus erat paullo ante omnium ordinum, cujuscumque conditionis concursus? quæ patebant assidue tanquam Delphi consulentibus, tanquam Aræ miseris, tanquam Portus periclitantibus? Nimis multa unus hic

lo-

locus in mentem revocat, ut gratissima ante, cum aderant, ita nunc cum desunt, molestissima. Nihil uspiam solatii reperienti liceat per te mihi, unde evocaras, redire domum, ubi dolorem meum saltem communis non augeat. Ac per te quidem licet; non licet per remorantes obvios, quorum cum lætis vocibus circumsonant aures meæ, in vultu tamen luctum, & intimum doloris sensum perspicio; & si libet in pauperum tabernas divertere, vel cœnacula adscendere, qui gemitus, bone Deus, obstrepunt auribus! Cohibeat lacrymas ad has querimonias, si quis potest, equidem cohibere non possum. Intelligitis, vel me tacente, quæ causa sit querelarum. Abrumpenda est enim mihi Oratio, & innumera doloris argumenta missa facienda, pro angustiis temporis. Unum dicam: nullum esse in Urbe angulum, nullum extra Urbem locum, qui, quemadmodum beneficentiæ, vigilantiæ, humanitatis, suavitatis, patientiæ, sapientiæ, charitatis, omniumque virtutum singularem & mirum in modum in Viro Principe elucescentium admonet, ita absentis desiderium acerbissimum non commoveat. Ego vero ne domi quidem latere sine gravi animi sensu, atque dolore possum, cum perpetuo versetur ante oculos Ædificium ita magnificum, ut non modo cives, verum etiam exteros, & peregrinos pertrahat in admirationem sui: quod tamen consideranti mihi eum abiisse nullo unquam tempore rediturum, qui extruendum curaverit, vertitur in mœstitiæ monumentum. Recensui quas potui pro brevitate temporis doloris causas: Tu lætitiæ recensebis. Eæ mihi notissimæ sunt, nec tamen in comparationem revoco, quod neque juvat, neque vacat. Ut ut illæ sint maximæ, certe neque meam, neque Civium ægritudinem possunt extinguere. Quod si in tanta Parentis optimi gloria, in totius Christiani Orbis lætitia,

in

in mœstitia esse peccatum est, ignoscite, Auditores ornatissimi, filiis ex amore peccantibus.

JUSTIOR EST CAUSA GAUDII.

II. Oratiuncula.

Si humanum sensum, quem reiicere homo nisi rejecta humanitate non potest, in hac nostrum omnium studiosissimi Pastoris, amantissimique Parentis distractione perspicimus, equidem fateor tam juste ac merito dolorem nostrum esse susceptum, ut nostrum ipsi videremur obliti, eximiæ ejus virtuti injurii, maximis beneficiis ingrati, si ejus præsentia, virtute, munificentia sine ullo animi sensu ac dolore carere possemus. Verum si illam, quæ in homine regina sedet, quæque una dominari, & imperare debet, rationem dico, spectemus, ecquis ita luctu conficiatur, ut non lætetur magis, &, æqua licet existente mœroris causa, non tantam eodem tempore capiat voluptatem, ut cunctas mœroris causas voluptas tollat, ac prorsus auferat? Multa quidem inter breves hujusce temporis angustias oratione attigisti, cum tamen multo major rerum seges tibi suppeteret, ubi latius expatiari potuisses; illa scilicet commemoratione dignissima facta leviter perstringendo, quorum recordatione ea subit animum molestissima cogitatio, hæc aliquando fuisse, nunc abiisse cum illo, & defecisse. Sed nimirum sensu semper duce se se tua effudit Oratio; & ex objectis ante oculos, auditisque exasperata præteritorum memoria, incerta futurorum, nullum, ut visus es, dedisti rationi locum. Ecquid igitur non advertis quanto majora Pontificis Max. fuere in nos merita, tanto se præstitisse digniorem, ut ad supremum honoris culmen eveheretur, & quanto dignius celsissimum

fimum illum apicem confcendit, tanto nos majore oportere lætitia perfundi? Præmium ftare virtuti æquum eft; indoli par munus offerri neceffum; optare bonum benefacienti grati animi eft; ejus qui amaverit gaudere gloria diligentis eft: benefici & amantis bono, gloriaque cum fuo etiam detrimento lætari, hoc vere grati eft, vere amantis. Ego mehercule quoties mihi videor illum videre triplici diademate fulgentem, infignibus longe quam antea infignioribus decoratum, in Solio omnium quotquot in terris funt nobiliffimo auro, gemmifque micantem, virtutibus tamen fuis Solium ipfum ornantem magis, dare jura univerfo Terrarum Orbi, Reges, & viros Principes adoraturos ad pedes excipere, Purpuratorum caterva ftipari, omnium obfequiis coli, incredibili obruor voluptate, reputans hunc effe eumdem illum, quem paucis ab hinc menfibus videbamus tanta humanitate affari quofque, tam demiffe ad humiliores defcendere, tam magno animo fpoliare fe rebus, & ornamentis fuis, quo miferorum infortuniis fuppetias ferret; & cum reputo Deum, feciffe pro promiffis, ut *exaltentur humiles*, fummopere geftio vicem noftram Deum ipfum obiiffe, rependendo pro meritis, quod nullo nos modo, ne minima quidem ex parte facere poteramus. Quid conqueramur fi e Profdocimi Sede ad Sedem Petri divino confilio, atque decreto translatus eft? Amplus erat hic dignitatis locus, fed longe amplior tantum virum decebat. Meffis quidem hæc non exigua, at multo maximam ejus vires animi poftulabant: fatis fpatiofus per fe erat hic ejus virtuti campus, fed tanta eft ejus virtus, ut terram totam poffit excurrere: lucebat ille in hoc cælo noftro tanquam fidus, pulchrum quidem illud, attamen pro brevi fpatio fidus; eum tanquam Solem toto Orbe illucefcere oportebat. Quorfum doleamus? Iniqui pro-

fecto

fecto simus, si virtutem aptam, natamque ad grandia exiguis cancellis coarctemus; invidi, si tantum totius Ecclesiæ bonum nostro postponamus. Certum mihi exploratumque est id nolle te, immo mecum & una cum omnibus vehementer gratularis Pontifici dignitatem, Ecclesiæ felicitatem. Quæ Te, & quanta incrementa, quam uberes fructus, quam ingentes utilitates manent, Christiana Resp. tanto Auspice, tanto Duce, tanto Principe! Ejus pietas Divinum Numen, cujus fungitur vice, tibi reddet, conservabitque placatum: Charitas cælestes thesauros, quibus aperiendis claves unus habet, perpetuo recludet: Sapientia, cujus ab ipso fonte bibit, purissimos latices derivabit: Integritas ad omnium virtutum genus exemplo præibit: Constantia vitia expurgabit, vitiorum semina extinguet, radices evellet; Vigilantia tuæ studebit securitati; Fortitudo hostes arcebit, molientes aliquid coercebit; Ejus tandem ipsa natura tam præstans, tam suavis, tam humana, tam recte composita, tantis munita præsidiis, & ornata virtutibus, Tibi pacem, tranquillitatem, omnia felicia & fortunata in præsens, & in posterum pollicetur. Non hæc sunt omina adulantis, aut optantis somnia. Certa est hæc spes, atque adeo explorata faciendorum cognitio, exitu nixa jam ante factorum. Vos, vos, Auditores, appello testes, quin immo judices, quibus facilius est uno intuitu præclara Viri Principis facinora recognoscere, quam mihi verbis enarrare. Per hæc tria lustra, quibus Patavinam Provinciam superis bene juvantibus susceptam, incredibili nostro bono administravit, quæ specimina qua verbis, qua factis (& quibus factis!) qua laboribus, qua consiliis, qua divinis suppliciis (& quam ferventibus!) qua humanis subsidiis (& quam abundantibus!) quæ, inquam, per hosce annos virtutum omnium documenta dedit! quam non obscu-

obſcure ſignificavit ea ſe præditum indole, quæ non uni Urbi, ſed univerſo Orbi regendo apta videretur! Magna geſſit, & admiranda nobis, ſibi exigua, ac porro minima, cujus animus anguſtis terminis circumſcriptus ſuas non poterat vires exerere. Jam tandem exeret; & quam late patet Chriſtiana Reſp. ſentiet bono magno, & ingenti conſolatione experietur. Ullus ne ex communi felicitate tanta redundare luctus in nos poteſt, in nos, quibus ea potior eſt exultandi ratio, quod apud nos ille ſe idoneum reddidit, dignumque Imperio ſummo? In noſtra hac palæſtra ille ſe exercuit, noſtrum hoc ſtadium percurrit, hoc noſtro in campo quaſi præpilatis enſibus dimicavit, eamque adeptus eſt virtutem, quæ arenam tam amplam, quam Terram totam requireret. Glorietur Patavina Civitas de fortuna ſua, & jure glorietur, in cujus ſinu Vir tam admirandus brevi ſuccreverit; quæ ei ad dignitatem omnium ſine comparatione maximam, viam munierit; quæ eum ad Eccleſiam totam regendam, tuendamque adornarit; ad ſubeundas Divini Numinis vices inſtruxerit; tantoque magis glorietur, quod per tot Sæculorum decurſum ætati noſtræ hoc decus, & ornamentum ſuperi reſervarunt, ut Patavinam Cathedram Epiſcopus cum Romana nunc primum, quod ego ſciam, commutaret. In tanta gloriandi ac triumphandi cauſa ullus ne poteſt eſſe dolori locus? & ſi qua jactura ex hac Paſtoris a Grege disjunctione privatim ad nos pertineret, nonne tam magnum commune bonum, tam ſingulare noſtrum decus poſſet jactura qualibet libenter permutari? At qua tandem jactura, amabo te, qua jactura? Unum perdidimus: ejus adſpectum; hoc eſt jucunditatis noſtræ uberrimum fontem; at Charitatem, ingentem bonorum noſtrorum theſaurum, non perdidimus, immo auctiorem indipiſcimur. Amavit ille nos mirifice, & incredibili-

biliter, charosque semper ita habuit, ut qui maxime: Amoris autem qui altas radices egerit, ea est indoles, atque natura, ut ex amantium separatione ipso desiderio augeatur. Nihil, mihi crede (Tecum loquor, Patria mihi carissima) nihil amiseris, a Parente quidem dissita, non orbata. Vivit ille, & beatissimus vivit, & amantissimus tui, idque ipse per litteras significavit. Ne Te sollicitam habeat longinquitas, amara alioquin illa, ea tamen quæ Patri facultatem suppeditat parandi tibi majora & ornamenta, & adjumenta. O præclaras spes minime dubias, quin exploratas in posterum tibi propositas! Insidet ille sublimi Solio te longe prospectans; splendore suo Terras omnes illustrat; ac cæteras, ut Sol Stellas, Te, ut Lunam, quam Sol tum scilicet lumine complet, cum in eam radios proiicit a se longe remotam. In omnes Mundi partes semina ex alto loco diffundet, e quibus Civitates educti fructus uberes locupletent. Sed quemadmodum omnium procreator Sol omnes plagas tepefacit, & percoquit, ita tamen ut aliæ pretiosioribus, quam aliæ, proventibus abundent, ita cum cæteris Pater munificus Clemens fuerit, in Te divitias sui amoris veluti effundet. Ecquis igitur e tuis Civibus tam fortunatum, tam gloriosum, tam magnificum triumphum mœrore prosequendum putet? Video tamen per Urbem eos, quibus curta domi supellex est, (& innumeri sunt,) qui liberalissimi Principis stipe victitant, dejectos animo, nec tanta omnium felicitate, tanto communi bono plane posse gaudere. Sumite animos lectissima Christi Gregis portio, deliciæ Pastoris Sanctissimi supra delicias dulcissimæ, ne quis timor subeat, ne qua suspicio, qui ærumnarum vestrarum ita, ut nostis, semper misertus est, qui sibi parcus fuit, ut in vos esset liberalis, qui divitiarum contemptor, habere tamen divitias eo tantum animo

opta-

optavit, ut in ſinum veſtrum effunderet, qui diſcedere hinc non potuit, quin vobis tanquam domeſticis, ac familiaribus promos condos relinqueret, qui vos quaſi filios unicos adamavit, eum nolite putare paſſurum gloriam ſuam, quæ omnibus ſummo gaudio fuit, vobis unis unquam eſſe dolori.

I. *Sponſus abſens Sponſæ dolori eſt.*[1]

Patavina Eccleſia loquitur.

Quis mihi Te caris rapuit complexibus? ah quis
Eripuit dulci Te mihi, Sponſe, ſinu?
Nunc heu largifluis rorantia fletibus ora
Spargite, & humentes, lumina noſtra, genas.
Ergo ego tam durum potui ſperare dolorem,
Delicii & tanti flebile diſcidium,
Ut mihi perpetuo, mihi Te, dulciſſime, ademptum,
Heu nimium felix! Terra aliena ferat?
Ah quodnam facinus, quod mi ſcelus obfuit ingens,
Quonam ſum vilis crimine facta tibi,
Quo me Tu poſthac nunquam viſurus abires?
Nec me, Sponſe, tuum recreet alloquium,
Alloquium æthereo perfundens pectora rore,
Jucundum dulci mi magis ambroſia?
Ecquid agam infelix? qua me ſpe ſoler inani?
Dehinc luctus ægram, dehinc fera fata manent,
Et jam deſolata, gravi & confecta dolore,
Heu cogor lacrymas combibere ipſa meas.
Ad me longinquis veniet peregrinus ab oris,
Et paſſis cernens crinibus indecorem,
Quo tuus ille abiit, Sponſa o mœſtiſſima, dicet,
Dilectus? fauſto quo cubat ille ſitu?
At me crudelis mœroris tranſiget enſis,
Hæc, totidem fuerint ſpicula, verba mihi.

Reddite ſepteni Sponſum mihi, reddite colles;
Eſſe mihi haud dulcis hoc ſine vita poteſt.
Quod te, Sponſe, refert ſubito mihi Numen amicum?
En nota ante oculos errat imago meos.
Jam mihi jam lætas reſonant tua verba per aures,
Et tactum ſubito pectus amore trahunt.
Jam datur optatos iterum nunc cernere vultus,
Qui mi cor, ægram mi exhilarant animam.
Ut tua blanda micant cæleſti lumina flamma!
Ut pura comis gratia fronte ſedet!
O qualis, quantuſque pates! me haud altera pulchrum
Sponſa unquam melius ſubriget alta caput.
Quid loquor? heu umbras, & inania gaudia fingo!
Heu miſera! heu vanis ludor imaginibus!
Perpetuum heu longis nimium disjungimur oris!
Proh dolor! is dempto ſine carendus abeſt,
Quo ſine nec lætum quidquam, nec amabile quidquam:
Quem fore, dum noſtrum vivet uterque, meum
Sperabam, & pariter me habiturum tempus in omne
Illum, dum noſtrum vivet uterque, ſuam.
Vivit, nec meus eſt. nunquam mihi fata dediſſent,
Debuerat noſtro qui procul eſſe ſinu.
Sæve quid ingratos cogis dolor edere queſtus?
Unde mihi tantum hoc excidit ore nefas?
Vos mi eritis dulces anni, ſoleſque beati,
Queis una quondam vivere poſſe datum eſt.
At nunc largifluis rorantia fletibus ora
Spargite, & humentes, lumina noſtra, genas,
Ille meos habuit primum qui Sponſus amores,
Diſtillans dulci qui mihi melle favus,
Et rorans fuerat cæleſti rivulus imbre,
Cui campi quondam flos ego pulcher eram;
Qui mihi condito præbebat pocula vino,
Punica fundebat divite poma manu;
Qui mihi mel ſupra, qui nectare dulcior ipſo,
Eſt myrrha factus, faſciculuſque aloes.

Quo-

Quocumque adſpicio populi lætantur ovantes,
Miratur ſubitum totaque Terra decus:
Fletu ſola meo communia gaudia rumpo,
Et mihi de Sponſo nil niſi luctus adeſt.
Reddite ſepteni Sponſum mihi, reddite colles,
Eſſe mihi haud dulcis hoc ſine vita poteſt.
Deſine fata Deum flecti ſperare precando
Demens! Sponſa habet hunc altera nobilior.
Neu vos ſepteni Sponſum, neu reddite colles;
Is modo ſit felix, ipſa fruar lacrymis.

II. Ornatus gaudio Sponſæ eſt.

Parce o flaventes digitis abſcindere crines
Sponſa, & formoſas ungue notare genas.
Quin nova Tu potius ſolemni gaudia pompa
Teſtare, & meritis munera redde Deis.
Namque honor abſentis Sponſi tua gloria, Sponſa, eſt;
In partem tanti luminis ipſa venis.
Debueras antehac ſiquidem formoſa videri,
Ut nuptam tali convenit eſſe viro.
At tua cum multis communis gloria: Teque
Tanquam unam e reliquis reſpiciebat humus.
Unica nunc cunctas inter formoſa videris,
Et tua præ cunctis nomina Terra colit.
Clementis Sponſam totus Te ſuſpicit Orbis,
Totaque Terra opibus dicitur aucta tuis.
O ſic amiſſo Sponſa ornatiſſima Sponſo!
Quanto jactura clarior ipſa tua es!

I. Hortus ſine Cultore triſtitiam præfefert.

Felix Hortule, dives hortulorum,
Dives Hortule, pulcher hortulorum,
Cum te nectareo modo liquore,
Adſpectuque modo beabat uno,
Cultor ille tuus, tuuſque Cuſtos,

Qui te plus oculis amabat ipsis.
Tum nascente die, & die cadente
Phœbus lumine pulchriore fulsit;
Et lenem strepitum per emicantes
Argutus Zephyrus ciebat herbas;
Ridens semihiante acanthus ore,
Narcissusque sibi placebat aureus;
Et molles violæ, rosæque pulchræ,
Vinci flore hyacinthino dolentes,
Certatim patulum sinum exerebant.
Tum belle pede mobili susurrans
Obliquo trepidabat unda rivo,
Dum circum undique garrulæ volucres
Læto dulce dabant ab ore carmen,
Quale deficiens olor suave
Amœna ad vada concinit Caystri;
Et cinctæ variis comam corollis
Pulchros Naiades choros agebant.
Tum laurus sacra, & hospitalis alnus,
Alba populus, & decora myrtus,
Et plures aliæ arbores tenellæ
Honestum caput invicem explicabant.
Virebant aliæ modo daturæ
Flosculos vario colore pictos;
Florebant aliæ modo daturæ
Ipso nectare dulciora poma,
Dum grata interea sedens in umbra,
Crescite, inquit Herus micante corde,
Crescite, o ter amabiles quaterque,
Queis nil carius est, beatiusque,
Plantæ floridulæ, arbores virentes,
Mox amplum mage deferendæ in hortum.
At quo deliciæ, decusque fugit?
Non, quæ sola homines beat Deosque,
Pennis lætitia aureis renidens,
Mala at tristities, malusque pallor.

Nunc

Nunc circumvolitat modo hac, modo illac,
Inscribitque suum usquequaque nomen.
Nunc Phœbus caput aureum recondens
Cogi sollicitas sinit tenebras;
Et gravi Zephyrus dolore tactus
Triste compositis quiescit alis.
Jamque pallidulo colore sparsam
Demittunt violæ, rosæque frontem;
Et rivus pede languido moratur,
Dum circum querulæ canunt volucres,
Ut Turtur patula canit sub ulmo,
Dum luget socium sibi peremptum.
Nunc crines male fulgidos solutæ
Imis Naiades dolent sub undis,
Et mœstæ simul arbores queruntur.
Arescunt aliæ modo datura
Flaventes mage flosculos aristis;
Flavescunt aliæ modo datura
Vel primo viduos decore ramos.
Nempe cultor Herus recessit. ergo
Dolete, o Zephyri, dolete o flores,
Et vos languiduli dolete fontes;
Dolete o volucres, dolete Nymphæ,
Et vos aridulæ dolete plantæ.
In umbra recubans silente, vestro
Miscebo lacrymas meas dolori.

II. VENERABILIS BARBADICUS

CLEMENTE XIII. PONTIFICE MAX.

Spem lætam portendit.

Nuntius æterni fati, vocisque supernæ
Lucis ab infando pelago, quo nobile Divum
Concilium vocat igniferi Deus arbiter axis,

Litora Medoaci, magnamque Antenoris Urbem
Advenio, pacemque ferens, & rore recenti
Lætitiæ Euganeos perfundens undique colles.
Nam cum divinæ Vatem me spiritus auræ
Alatis raptasset equis per inania cæli
Ætherias lustrare domos, aulamque beatam,
Insolito ridentem auro, gemmisque micantem,
En mihi Cælicolas inter, distinctaque pulchre
Agmina, quæque suis habitantia sedibus, una
Carolus, & Nerius, casta & Ferrantia proles,
Et Barbadicus se se fert obvius Heros.
Demiror, si sacra tribus jam altaria fumant,
Cur nondum pariter postremo altaria fument.
Dumque hæc immotis oculis, tacitusque, stupensque
Mecum corde puto, volat ecce par aurea dulcis
Atria vox, superum fremitu sublata secundo.
Barbadicus io! capiet tum thuris honores,
Quos olli arabicæ candenti texere gyro
Certabunt nubes, tum cernet Sanctus ab aris
Pastor adorantes curvato poplite Gentes,
Cum longo affini deductus sanguine & alte
Astrum Adriæ fulgens, & Rezzonicæ incrementum,
Carolus, augustum Gentis nomenque perenne,
Carolus in Solio mundi Pater emicet alto,
Qua Sol divinus terreno in pulvere possit
Irradiare animas, nigroque reducere Averno,
Postquam virtutum vario diademate cinctam
Gregorii Sedem tria lustra implerit eamdem.
Hoc erat in fatis. Solium jam Carolus altum
Scandit, Gregorii quo fugit scandere virtus.
At si hic elusit dignus, si Carolus illud
Dignus & ipse subit, stat dispar gratia facto,
Non laus; ille facit quia cæli lumen amicum
Spirat, & obsequitur, divinaque vota secundat:
Iste negat, quia fata vetant, legesque Tonantis.
Regnat io! regnat Clemens, & Roma triumphat,

Et

Et nos, & læti flammantia mœnia mundi,
Perque operum illius vestigia lucida, cuique
Pulchræ spes roseo fulgentes oro renident.
Jam jam Gregorium sacri venerabimur aris:
Exultant jam Templa novo lætantia Divo,
Æraque pulsa sonant, & festis ignibus Urbes
Undique collucent, jam plausibus ætheris alti
Terrestres certant plausus, & dædala chordis
Carmina dulcifluis simul undique pectora mulcent.
Felix Urbs Patavi! tua gloria fulgurat ardens
Instar Apollineæ lustrantis lampados Orbem.
Sume agedum fastus, æternum sume decorem.
At tu, Musarum sacros quæ pascis Alumnos,
Alma domus Sophiæ, propriis quam condidit olim
Gregorius manibus, firmata & sede locavit,
Dilexitque animo semper magis omnibus unam,
Tu lætare magis, quam Clemens diligit & nunc
Omnia Gregorio similis magis omnibus unam.
Dicite io! Pueri. geminos dedit ille Patronos,
Cum Borromæus prædulcia pignora Pastor,
Et Nerius sacris nos excepere sub alis.
Ponet & iste duos: unum, jam tradidit ante,
Gonzagam nempe, Angelicis de cœtibus unum,
Et mox Gregorium nobis dabit ille secundum.
Dicite io, Pueri ter io! exultate canentes.
At tu Dive Neri, Gonzaga, & Carole, Tuque
Barbadice Pater, facite ut felicia Clemens
Tempora agat, vivatque diu, meritisque gravatam
Serus ad optatos cælestis navita portus
Appellat puppim, serus post terga volantes
Rideat is fluctus, tempestatesque sonoras.
Tunc illum, o Divi, tunc vos adscribite lætum
Ordinibus, vestrisque choris. Sed quale repente
Lumen inextincto mortales robore visus
Collustrat, cæcoque potens in vortice mersas
Res mi aperit? cerno, jam cerno impervia cunctis

Fatorum arcana. O nimium felicia sæcla!
Clemens nunc Sedem hanc celso de vertice honoris
Comiter aspiciet, quintus post fata Patronus.

ECLOGA

Tityrus, & Corydon.

T. *Hic gelidi fontes, hic flore rubentia prata*
Quondam, hic juniperus, hic coniferæ Cyparissi,
Hic serpens raris antrum labrusca racemis
Ornarat, mixtique hedera pallente Corymbi:
Hoc quondam recubans Thyrsis formosus in antro,
Sole sub ardenti frigus captabat, & umbras.
Tunc leve concusso resonabat vertice pinus,
Tunc apium, & florem subter bene olentis anethi
Roscida fundebat tellus casiamque, crocumque,
Tunc circum roseo ridebat lumine Cælum.
Heu nemora! heu colles! heu prisco exuta decore
Prata! heu! vix Thyrsis pubescens deseruit Rus,
Arescunt campis herbæ, flos languet in hortis,
Pro segete aurata, pro suave rubentibus uvis,
Lappæque, tribulique rigent, sentesque cruenti.
C. *Tityre dum læti quatiunt cava cymbala circum*
Pastores, resonant silvestribus arva cicutis,
Dum flore exornant, sertisque recentibus ulmos
Quique suas, summis lucent magalibus ignes,
Undique sublustris rutilis pluit æthra favillis,
Tu corylos inter luctu confectus inani,
Montibus, & silvis hæc Tu suspiria jactas?
T. *O Corydon, Thyrsis queruli mihi causa doloris,*
Thyrsis, quem croceis vinctum fortasse corollis
Najades, aut minio pictæ rapuere Napææ,
Et nunc aut silvis, muscoso aut fonte morantur.
C. *Najades haud illum, haud pictæ rapuere Napææ.*
Euganeas Thyrsis valles, saltusque relinquens,
Qua

Qua caput umbrosa præcinctus arundine Tibris
In mare purpureum auratis devolvitur undis,
Tarpeja arce sedens, Pastorum gloria, vivit.
Illum Amaryllis habet; ter felix o Amarylli!
Nunc pro glande tibi quercus ferat aurea mala,
Flumina lacte fluant, dumis florescat amomum.

T. *Tyrrhena, memini, rediens huc valle Menalcas*
Nuper plus solito lætam esse Amaryllida dixit,
Et flavos violæ, ac narcissi flore capillos
Comptam inter Nymphas hilares agitare choreas.
Hæc mihi narrabat Thuscus tum forte Menalcas,
Cum gemini rubro delapsi ex æthere cycni
Medoaci in ripis nive candidioribus alis
Lusere, & læti augurium, cantusque dedere.
Tunc equidem tantos præsensi pectore luctus.
Thyrsis tunc aberat; ipsæ Te, Thyrsi, capellæ
Ipsa hæc mugitu in pratis armenta vocabant.

C. *Ergo silvicolæ ferimus solennia Pani*
Sacra, arisque novo spumantia cymbia lacte
Ponimus, & canam mactamus quisque bidentem,
Quod parili secum Thyrsin dignatus honore est.
Aspice selectam hanc nostris ab ovilibus agnam,
Vellere ut albescit niveo, utque est corpore pingui.
Illa mihi binos fœtus dulci ubere alebat,
Illa suo sparget fumantes sanguine tædas.

T. *Quam vellem Ausonia Thyrsis nunc Urbe rediret!*
Non ego tunc albam mactarem rite bidentem:
Taurum hunc mactarem niveum, cui pulla nigrescit
Fronte nota haud domito, cui cornua vertice surgunt,
Qualia mense novo, noctis ridentibus astris,
Nascenti primum resplendent cornua Lunæ;
Huic ego florigeris ornarem colla corollis,
Funderem & e patera media inter cornua vinum,
Tuque preces Domini, Taure, & pia vota secundans
Obtruncanda sacro præberes guttura ferro
Ultro, sanguineisque genu prolapsus in herbis,

Lu-

Lumina demittens reduci pro Thyrside obires.
C. *Tityre, mitte licet fœcunda in pabula Taurum.*
Nescis quæ retulit formosus munera Thyrsis?
Illum Antenoreis cum rustica montibus olim
Auricomo captum malo Galatea tenebat,
Nec pecoris dives nimium, nec lactis abundans,
Paucas saxosis pascebat vallibus agnas,
Verbenisque tegens caput, umbrosoque oleastro,
Vestitum molli baculum gestabat acantho.
Nunc illi centum niveis cum matribus hædi
Saltibus in vacuis pascunt, & plena secundum
Flumina nunc centum replent mulctralia vaccæ;
Nunc ebore, atque auro sceptrum gerit, atque capillis
Imponit triplicem gemmis, auroque coronam.
T. *Ut neque Pavonum stellis depicta coruscis*
Cauda nigros decet apricantes arbore corvos,
Sic neque Pastorem e gemmis, auroque corona.
C. *Inter aves, interque feras velut aurea serta*
Reginæque Aquilæ gestant, regesque Leones,
Serta ita Pastores inter gerit aurea Thyrsis.
T. *Non Aquilas vidi gestare, aut sceptra Leones,*
Aurea Pastorem nec vidi sceptra gerentem.
C. *Pastor & Isacides (referunt, si rite recordor)*
Pavit oves, baculumque invertit in aurea sceptra.
T. *Tune ergo his silvis aberis, dulcissime, semper?*
Nunc pallor violis pereat, candorque ligustris,
Sanguineis nunc & moris nigror, & rubor uvis.
Incipe lugubres mœrens mea tibia versus.
C. *Murice nunc Aries in pratis suave rubenti,*
Nunc croceo mutent agni sua vellera luto.
Incipe festivos hilaris mea fistula versus.
T. *Flatibus ut primis spirare nigerrimus Auster*
Cum incipit, horrescit pelagus, fluctusque tumescunt,
Intus sic denso turbantur pectora luctu.
Incipe lugubres mœrens mea tibia versus.
C. *Ut cum Sol radiis crispantes verberat undas*

Ma-

Mane novo, splendet tremulo sub lumine Pontus,
Lætitia sic pectoribus cor emicat intus,
Incipe festivos hilaris mea fistula versus.
T. *Nunc tu pallidior letho, deformior orco,*
Horridior setoso Apro, Galatea videris.
Incipe lugubres mœrens mea tibia versus.
C. *Nunc tu floridior prato, formosior horto,*
Candidior lacte, & nivibus, Amarilli, videris.
Incipe festivos hilaris mea fistula versus.
T. *Heu platani foliis, foliis viduantur & orni,*
Heu lacrymans frondes effundit sola cupressus!
Fronde, Cupresse, tua fuscis suspiria pennis
Ad nos densa ruunt stimulis pungentia amaris.
Incipe lugubres mœrens mea tibia versus.
C. *In silvis pinus, quercus in montibus altis,*
Vos lauri in rivis, in litore crescite myrti,
Fronde nova vitreas ornare ad Tibridis undas
Thyrsin, silvarum communia gaudia Thyrsin.
Incipe festivos hilaris mea fistula versus.
T. *Aspice ut inculto mœrens hyacinthus in horto,*
Expressit luctum foliis, & clamitat, hei! hei!
Incipe lugubres mœrens mea tibia versus.
C. *Aspice per colles ut hiantia lilia rident.*
An rosa io! foliis, & io! scripsere amaranthi?
Incipe festivos hilaris mea fistula versus.
T. *Populea nuper resonans Philomela sub umbra,*
Auritas dulci mulcebas carmine rupes,
Et chorus alituum e pratis plaudebat & hortis,
Nunc ulula arboribus tristis, nunc noctua stridet.
Incipe lugubres mœrens mea tibia versus.
C. *Nunc viridis tecto confidens Psittacus alto,*
Humanam simulat vocem, linguaque rubenti
Te, Thyrsi, edoctus iterumque iterumque salutat.
Pieria & recinunt arguta voce volucres.
Incipe festivos hilaris mea fistula versus.
T. *Ipse boves haustum ducens simasque capellas,*

Ver-

Vorticibus mediis trifti fe attollere vultu
Medoacum, viridefque comis avellere cannas
Profpexi, atque oculis lacrymas profundere glaucis.
Incipe lugubres mœrens mea tibia verfus.
C. *Ipfe oculis vidi, picto cum forte phafelo*
Fluctivagos pifces caperem, exultare fub undis
Agmina, & auratis oftendere lucida fquamis
Terga, amnemque fuum florenti verrere cauda.
Incipe feftivos hilaris mea fiftula verfus.
T. *Hortis æternum Tu vives Thyrfi, Latinis.*
At nos feu vitem incidemus falce novellam,
Seu frondes, paftum pecori, carpemus ab ulmo,
Textilibus feu cogemus lac molle caniftris,
Flebimus, Euganeis Te flebimus ufque fub antris.
Incipe lugubres mœrens mea tibia verfus.
C. *Tityre lugubres tandem depone querelas:*
Difcito fpem noftram: Thyrfis jam mittet Amyntam.
Ipfi jam montes, ipfæ jam carmina rupes,
Ipfa fonant arbufta: tuis fis dexter Amynta.
T. *Ille ne, qui femper cum Thyrfide fidus Amyntas*
Confilii confors femper, mentifque latentis
Pafcebat teneras per florea prata capellas?
C. *Ille, ille: Euganeis Thyrfis jam confulit oris.*
Exorere o, rofeufque novam duc Phofphore lucem,
Qua noftris Paftor filvis fuccedat Amyntas.
T. *Adveniant hæc faufta; tamen, Thyrfi, ipfe venito.*
C. *Hoc jam fata vetant.* (T.) *Thyrfi ergo* (C. & T.)
Suffice Amyntam.

Decifio.

Quoniam ea mihi demandata provincia eft, ut cui parti accedam fuffragio meo in commune proferam, definiam paucis. Mœroris caufam, mea quidem fententia, juftiorem efficit æquitas, gaudii juftiorem honeftas. Magno enim bono privari mife-

rum

rum est: domesticam (ita loqui fas sit) dignitatem augeri, gloriosum. Quamquam quorsum isthæc investigatio, utra justior causa sit, cum justissima utraque sit, neutra minus ei, cujus causa mœremus, lætamurque gloriosa? Igitur qua cuique libet, quantaque libet animi affectione moveatur quisque per me licet, dum interim mihi quoque per vos liceat ex intimo nostro sensu vocem expromere.....

Ite piæ lacrymæ, justique recedite luctus;
Gaudia justa magis. feror ah feror altus in auras,
Lætitiæ, & rapidi pennis subvectus amoris,
Romanisque levis super arcibus arduus adsto.
Jam sacri adspicio Capitoli immobile saxum,
Temporis omnivori quod nec corrodere dentes,
Tetrave Tartareis monstra erumpentia portis
Frangere, fatalive queant de sede movere.
Hoc innixa Fides Solio solemniter alto
(O sacrum, æternumque mihi venerabile nomen!)
Clementem locat. O manibus date lilia plenis,
Pegasides, mulcete, rogo, liquidum aera cantu,
Aonioque sacram conspergite nectare frontem.
Te ne ergo adspicio? hæc facies tua ne illa verenda
Majestate nitens? hæ ne, hæ, queis poplite flexo,
Pronaque adorantes dent Reges oscula, plantæ?
Hæ ne manus, queis cura stat, & custodia clavi,
Unde procellosum Petri imperterrita Pontum
Puppis, raucisonosque secet tutissima fluctus?
Quæ nova majestas? quantum in Te Numinis instar?
Tantorum impatiens radiorum avertere cogor
Vultus, & nimiæ metuentia lumina lucis.
Fallor? an & tanta sub majestate refulget,
Atque gravi facilis subridet gratia vultu,
Cernere & antiquum dat tanto in Principe Patrem?
Perge, Pater, quamquam graviorem pectore curam
Nunc premis, & vasti Pater adstas maximus Orbis;
Ne tamen ex animo natorum cura priorum

Exci-

Excidat, aut veteris subeant oblivia Sponsæ.
Et quæ cara Tibi placido mitissimus ore
Carolus excepsti, ne despice pignora Clemens.

Anno 1758. prid. Id. Augusti.

Facta est mentio in Præfatione præsagientis animi nostri, atque ominantis Carolo Rezzonico Summum Ecclesiæ Catholicæ Imperium. Primum id fecimus anno 1743. pridie Idus Augusti. Cum enim pubblice proposita Academica quæstione, *Utrum ad morum institutionem Philosophi magis conferant, an Poetæ*, fausti nuntii de paterna Rezzonici, jam tum Episcopi Patavini creati, in Seminarium benevolentia venissent, præpropere Eclogam concinnavimus, & tanquam Academicæ disputationis mantissam habuimus, cujus clausula illud, quod supra indicavimus, omen continet. Iterum fecimus anno 1758. Solenni D. Philippi Nerii die, VII. Cal. Jun. Nam cum Eminentissimus Princeps Carolus Rezzonico paucis ante diebus Romam perrexisset ad habenda comitia Summo Pontifici in locum Benedicti XIV. sufficiendo, celebratis laudibus D. Philippi Nerii antequam Auditores dimitteremus, ab ingressu ejus in cælum a nobis descripto, mens nostra ad Carolum ingredientem Urbem Romam avolavit, & præsensionem quamdam futuri Summi Pontificis significavit. Sic itaque celebrandis D. Philippi laudibus finem fecimus.

Humanis simul ac spoliis exutus, & imum
Linquens sub pedibus Telluris Nerius Orbem,
Flammiferas nitidi Sedes penetravit Olympi;
Quis (dixere) novus modo nostris advenit hospes
Sedibus? anne alius cælestibus appulit oris
Dignior, eximiisque magis virtutibus auctus?
Attulit hinc abiens plausum hunc novus incola Cælo
Nerius; in terris sed enim gravis obruit, eheu!
Cura suos, & corda premens dolor intus adurit.
Quæ mihi, quæ ante oculos mentis venit obvia imago?
Tri-

Tristes nos etiam heu liquit Pater alta revisens
Mœnia Romulidum. Ille subit, studiisque faventum
Excipitur: mirata Virum clamore secundo
Urbs fremit, atque omnis plausu circumsonat æther.
Quid superest? metus urget agens, fovet intima nos spes.
Vellemus reducem; vellemus honoribus auctum;
Mens foliis levior nunc huc, nunc fluctuat illuc.
Neri, qui placido nos despicis æthere ab alto
Lumine, solve animos curis, atque omine fausto
Perfice, ut in terris quamcumque habitaverit Urbem
Carolus, o felix vivat, vivatque diu, & nos
Prospiciat, ceu oculis natos Pater aspicit æquis.

Modo Eclogam habeto.

Damon Romanus, Tityrus Patavinus, Pastores.

D. *Tityre tam doctos Tellus alit ista Colonos?*
Nec solos vestra hæc resonat vel Phyllidis ignes
Silva, vel ingratæ tristes Amaryllidis iras?
Quin se se nemorum Vates felicibus ausis
Altius attollunt, cumque ipsis prælia miscent
Philosophis dubiam facientia carmine palmam?
T. *Talia nimirum nostræ melioribus annis,*
Et fato debent præsenti commoda silvæ.
Agresti incultum modulari carmen avena,
Et lætum celebrare nemus, tenuesque myricas
Gloria nostrorum fuerat præclara Parentum;
Ad sacra nunc avidas Sophiæ penetralia mentes
Intendunt, animosque ausi graviora Nepotes.
D. *Felix o nimium Tellus, cui dextera tales*
Numina Pastores tulerunt! gaudete beatæ
Medoaci ripæ, solas ego Tibridis undas
Sola coli doctis rebar Pastoribus arva.
T. *At quoniam expertos possint quid utrique vicissim*
Pastores audis, & adhuc sub judice lis est,
Vates, anne Sophos palmæ dignaris honore?

D.

D. *Non nostrum hos inter tantas componere lites.*
Thyrsis silvarum, Pastorum gloria Thyrsis,
Cujus sæpe melos Tibris bibit auribus, ille
Thyrsis, quem Cirrhæ sacris aluere sub antris
Pierides, juvenemque suis cinxere coronis,
Et cui crescenti fugienda, sequendaque pandit,
Præceptisque animum Pallas formavit amicis,
Hic unus tantas posset componere lites.
Cedite Philosophi, Pastori, cedite Vates.
T. *At quæ te patrios linquentem causa penates,*
Eque tuo penitus divulsum Thyrside rura
Vexit ad hæc tanto terrarum dissita tractu?
D. *Læta canam; gratare tibi, gratare colonis,*
Queis vitam superi dederunt hoc degere Cælo.
Non procul hinc Thyrsis, Dux hic, hic Tityre, Pastor
Medoaci nuper felicibus obtigit oris;
Hunc sequor, hæc patrios linquendi causa penates.
T. *Hic ergo luctum sublati tollet Iolæ,*
Quem terræ (nonus Triviæ nunc vertitur orbis)
Condidimus, sertisque sacram contexímus urnam?
Tempus io! jam tempus adest, quo nube serenos
Curarum pulsa videam procedere Soles.
At primis quoniam Thyrsis tibi cognitus annis,
Quis, memora, & quantis se se virtutibus effert.
D. *Ocyus Ægæo steriles in litore arenas,*
Ocyus umbrosas per vasta Ceraunia frondes,
Ocyus Hesperiæ numerem telluris aristas,
Quam laudes æquo complecti Tityre cantu
Illius, & magnæ possim decora inclyta mentis.
Ardua qua sacram fixit Sapientia sedem,
Ad celsum non lenta ferens vestigia clivum,
Quas illi non unda rapax, nec flamma, nec hostis
Nudato possit sævus divellere ferro,
Eximias congessit opes. Vos numina testor
Arcadiæ, teneris vos est veneratus ab annis,
Quot nullis illic unquam peritura diebus

Justi-

Justitiæ, Fideique tenax monumenta reliquit!
T. *Excipite hæc animis, & spes hinc discite vestras,*
Pastores socii; magnarum nuncia rerum
Fama ruat, circum plausu nemus omne resultet.
D. *Sexcenti quamvis tollant in montibus olli*
Mugitum tauri, balatum in vallibus agni,
Non tumido hunc tollit vesana superbia fastu:
Hunc pietatis amor, damnosæ hunc nescia fraudis
Simplicitas, & magna gravis constantia mentis,
Haustaque præclaro decorat cum sanguine virtus.
T. *Quæ colitis montes, & stagna liquentia Nymphæ,*
Pastori varios venienti fundite flores.
D. *Hoc duce quæ vestris nascentur sæcula Terris!*
Illius auspiciis quos o vos surgere cernam!
Scilicet hanc silvis silvam magis omnibus unam
(Haud incerta loquor) miro complexus amore
Innocuas curabit oves, oviumque magistros.
Hanc sæpe invisens sedem, dulcesque recessus,
Præclara ambigui dirimet certamina cantus,
Et magnos ponet, pretium virtutis, honores.
T. *Aurea jam redeunt divini tempora* (*) *Mopsi,*
Quem nostro ereptum Ruri celeberrima Olympo
Inferuit pridem pietas. vestigia Mopsi
Hæres virtutum, præclari muneris hæres,
Thyrsi legens nos, nostra pari servabis amore.
D. *Hic amor illius Mopsi, cum viveret, oris*
Intulit externis nomen, post fata perenni
Optandum voto nomen producit in ævum.
Proximus huic, longo non proximus intervallo
Mœris erat; nota hæc longinquis Tityre nobis.
Mœrios, & Mopsi revocatum in Thyrside amorem
Sentiet & præsens, & postera concinet ætas.
T. *At quænam cupidis optatum Thyrsida nobis*
Adferat, & nostrum lux unquam explebit amorem?

H D.

(*) Mopsi nomine venit Gregorius Barbadicus, alias a nobis dictus Daphnis: Mœrios autem, Cornelius.

D. *Mox aderit*. (T.) *Lectæ fruges*, *&* *serta parentur*
Spicea, *&* *Assyrii venienti thuris odores*.
D. *Non ille aut fruges*, *aut thuris munera curat*.
Innocuos curat mores, *&* *candida curat*
Pectora, *&* *ingenuas Musarum exculta per artes*;
Ne malus inficiat lethali prata veneno
Anguis, *&* *invidia ne quisquam falce novellas*
Incidat vites, *aut parvos fascinet agnos*,
Maxima curarum cura est hæc Thyrsidis una.
T. *Ergo silens quid adhuc viridi mea fistula lauro*
Pendes? *magnorum quamvis insueta virorum*
Laudibus, *haud tantas sileas mea fistula laudes*.
D. *Tityre Pastorem ne lædas forte caveto*,
Ampla satis merces virtus; *si carmina curat*,
Carmina amat, *spernit laudantia carmina*, *&* *odit*.
T. *Donec erit virtus*, *virtuti haud carmina deerunt*:
Incipe tu Damon, *festivos incipe cantus*.
D. *Ut læta Arcadiæ subter placidissimus arva*
Perfluit Alpheus, *labentesque occulit undas*,
Sic quascumque dedit natura, *arsque æmula dotes*
Excelso prudens occultat pectore Thyrsis.
T. *Ut mage curvatur quo pluribus arbor abundat*
Fructibus, *&* *prono contingit pondere terram*,
Sic humili magis ille animo, *quo pluribus illum*
Præ reliquis superi magnis virtutibus ornant.
D. *Quantum Roma alias inter caput extulit urbes*,
Pastores tantum Thyrsis supereminet omnes.
T. *Doctior Urbs Patavi quantum est magis omnibus una*,
Pastores tantum doctrina hic anteit omnes.
D. *Qualis per noctem frondosa Turtur ab ulmo*
Nequidquam queritur raptos mœstissima fœtus,
Sic nostra erepto lugebit Thyrside Tellus.
T. *Qualis populeas inter lætissima frondes*
Vere novo geminat dulces Acredula cantus,
Sic nostra oblato lætatur Thyrside Tellus.
D. *Dum noster tumidum Tibris decurrat ad æquor*,

Dum

Dum rabidi abruptis errent in montibus apri,
Optimus in nostris Pastor celebrabitur oris.
T. *Dum vaga circumagat convexus sidera Olympus,*
Dum cita pinniferos concludant flumina pisces,
Optimus Euganeis Pastor celebrabitur oris.
D. *Ante feret gelidum rapidis mare pabula flammis,*
Humentemque ignis progignet fervidus undam,
Quam nostras hujus capiant oblivia silvas.
T. *Ante minax unco findetur vomere Pontus,*
Arduaque imbelles tranabunt nubila cervi,
Hujus quam Euganeas capiant oblivia silvas.
D. *Romani saltus, patriique valete Penates.*
Euganeos Thyrsis donec bonus incolet agros,
Euganeis Damon nunquam discedet ab agris.
T. *Muscosi quoties viridanti in margine fontis*
Alternis meditata magis cecinisse juvabit
Carmina, quæ læta servent in cortice fagi!
D. *Crescetis fagi, vobiscum carmina crescent,*
Carmina, quæ seri cupiant legisse Nepotes.
T. *Quando erit illa dies, nobis quæ denique Thyrsis*
Optatus veniat? nostra o quid gaudia differt?
D. *Mox aderit, visetque suos cupidissimus agnos.*
Interea, socium quem Pastor fecit, Amyntas,
Agricolis etiam Romanis notus Amyntas,
Is desiderium Domini lenibit. (T.) *amorem*
Quis nostrum non sensit adhuc, non sentit Amyntæ?
Sed tamen huc properes votis optate tuorum,
O Pastor, Te ipsæ valles, pinusque loquaces,
D. *Te fontes, Te prata vocant.* (T.) *Pia numina nobis*
Servent, dentque tibi quales cornicibus annos.
D. (*) *Vobis ante suos quid si fatum auferat annos?*
T. *Omen abesto procul.* (D.) *prope felix omen adesto,*
Fors iterum Romanus erit. (T.) *Si grandia nobis*
Hunc merita eripiant, patimur. (D. T.) *Di vota secundent.*

H 2 DE

(*) Obscure Damon præsagit, ut statim Tityrus non intelligat, quod e vestigio Damon explicat.

DE
B. VIRGINE MARIA
SINE LABE CONCEPTA.

ORATIO.

INcontaminatam B. V. Mariæ conceptionem, quam recurrente ejus die celebrari quotannis Auctore, perpetuoque Auspice Ven. Gregorio Barbadico consuevimus, tam varia elapsis temporibus, tamque firma rationum momenta probarunt, & sapientissimorum hominum confirmavit auctoritas, ut jure ac merito verendum censeam, ne pietati vestræ diffidere videar, si, quod vetamur veteri proverbio, acta agam. Licuerit fortasse id aliquando in disceptationem vocare; tum ut pium nonnullorum erga Mariam fervensque obsequium, patefieret, quam ob caussam ipsa apud Birgittam testatum aperte reliquit, se prægrande mysterium hoc occultum diutius voluisse; tum ut magis magisque, quod fieri in disputatione solet, limaretur veritas, quæ præfinito tempore eluceret. Nunc vero postquam piorum hominum studium, quod jamdiu latuit, in apricum protulit, disputare non minimum imprudentis, dubitare vero prorsus impudentis esset. Quapropter dubitatione qualibet penitus sublata, omnique differendi via penitus interclusa, nihil reliquum præterea est, quam ut talis tantique decoris amplitudinem, quale post homines natos nulli unquam mortalium contigit, admiremur. Quid autem in tanta gratiarum copia, & prodigiorum affluentia præcipue admirabimur? Mihi quidem cæteris quibus decoratur titulis, quorum singuli longam depo-

fcerent Orationem; omiffis, eo præcipue nomine mirari lubet, quod peculiare illud fuerit, & uni Mariæ conceffum munus, ut in ipfo conceptionis articulo communis maculæ expers effet; admirari, inquam, lubet, quod probari minime refert. quotus enim quifque eft, qui, ut fibi in animum inducat credere, mortalium neminem unum aut extitiffe adhuc, aut in pofterum futurum, qui commune contagium ipfo momento conceptionis ignoret, præter Mariam, argumenta requirat? quantum vero id ipfum fit illi uni hujufmodi beneficium peculiare fuiffe, ea qua par eft admiratione inveftigabimus, fperantes quidquid ad B. Virginem pertinet non magis nobis pro tenuitate noftra dicentibus, quam vobis pro veftra pietate audientibus jucundum fore.

Una igitur ex omni fæculorum memoria Maria extitit, quam originis labes a primo humani generis Parente in pofteros univerfos & fingulos derivata ne tantillum quidem infecerit; quam ab infinito tempore (fi tamen ullum fuiffe tempus dici poteft, nullum cum tempus effet) Deus non folum ex mortalium turba, & colluvione fuftulit, fed ex omnibus, quotquot religionis, pietatis, caftimoniæ, cæterarumque virtutum gloria floruerunt, florent, & in pofterum florebunt, elegit; *elegit*, verbo, *ex omni carne*. Non tanti fecit integerrimos Abelis mores, non fanctiffimum Melchifedechi facerdotium, non eximiam Abrahami obtemperationem, non admirabilem Jofephi æquabilitatem, illibatamque conftantiam, non diuturnos ac nunquam intermiffos Mofis labores, non incredibilem Jobi in rebus arduis perpeffionem, non fingularem Davidis pietatem, non bellicam Machabæorum virtutem, non incitatum Prophetarum ftudium, non præclara Apoftolorum trophæa, non inviolatam Virginum caftimoniam, non Virorum Principum fceptra imperiaque ref-

puentium magnanimitatem, non eorum fortitudinem, qui a Parentum amplexu, ab amicorum societate penitus avulsi vel in latebras se se conjecerunt, ut ab humanarum rerum strepitu remoti, divinoque cultui mancipati facilius animum ad cælestia erigerent, vel pio longe lateque disseminandæ Fidei ardore succensi in Ethnicorum pertinaciam, Hæreticorum perfidiam, Christianorum flagitia arma intulerunt, eaque de caussa sanguinem, animamque profuderunt. Non hæc & alia innumera jam ante ab omni æternitate prospecta Deus tanti fecit, ut eorum quempiam a communi contagione eximeret; unam exemit Mariam, in quam non modo illæ omnes, quæ singulæ singulis contigerant gratiæ, Bonaventura teste, ita excurrerent, ut omnia se se in mare devolvunt flumina, sed etiam quæ, utpote specialis & propria, supra universos simul conjunctos eam unam extolleret. Magnam quidem lacrymarum vim mortalium cæteri in hanc lucem prodeuntes emittant, & in ipso, ut ita dicam, vitæ vestibulo acceptam a majoribus scelerum hæreditatem luctu prosequantur: transmissum ad se se per traducem scelus deploret David, indeque flagitiorum fomitem agnoscat: miseræ se addictum Jobus conditioni lamentetur, eamque laxatis doloris habenis devoveat & execretur noctem, ex qua sibi fatale ærumnarum initium extitit. *Pereat nox illa, in qua dictum est; conceptus est homo; noctem illam tenebrosus turbo possideat; sit nox illa solitaria, nec laude digna.* Tuam ego mihi, ac mortalibus reliquis communem doleo calamitatem, Vir patientissime, & ultro iis, quas intimus dolor elicuit lamentationibus, ac diris facile ignosco. Fatalis omnibus illa nox est, quæ ejusmodi nos caligine obruit, ut a recta virtutis via identidem aberremus, & effrænatas libidines, pravosque animi motus, quibuscum intestinum perpetuum-

petuumque nobis bellum esset, tanquam hostes intra domesticos parietes, intra nos ipsos conclusit. Nullo igitur ea nox collustretur stellarum lumine, nullum videat surgentis adventum Auroræ, nullo unquam excitetur hominum sermone, effluat ex animis, non numeretur in mensibus, ex dierum albo expungatur. Ii vere sint, & habeantur dies, quibus olim post circumcisionem, multoque magis nunc post Baptismum teterrima illa ab animis detersa lues est, quamquam ex infectis radicibus infecta quandoque germina pullulant, sed tamen ii vere nobis & sint, & habeantur dies. Ad Deiparam vero Virginem quod attinet, illa ipsa nox, cæteris non laude digna, eximiis celebretur præconiis, ex qua neque ullæ ingenitæ cupiditates ejus ortus nobilitati caliginem offundere potuerunt. Gestias igitur ac tibi plaudas Virgo; hujus gloriæ, quæ tibi divinitus oblata est, socium habes neminem. Tu una illud, *mea nox obscurum non habet*, usurpare merito potes, si quidem nox appellari, non vero lux, aut lucis origo, ac parens debet. Ex quo annui cursus alternis dierum, noctiumque vicibus conficiuntur, diem unum, eumdemque primum ex Augustino, ejusque eximio interprete, Beda dico, intelligimus sine noctis interruptione fulsisse; quippe cum originem inde ducturus Sol esset, *oportebat* (rationem addit Basilius) *creaturam omnium lucidissimam non ortum ducere a tam obscuro Parente, quales sunt tenebræ*. Si sensum ille dies, animumque habuisset, quantam putetis ejus voluptatem futuram fuisse, ubi se unum tanto dignatum honore inter cæteros conspexisset? At merito lætitia exultet, triumphet gaudio B. Virgo, lux, quippe oportebat (dicam ego) Solem Justitiæ non ortum ducere a tam obscuro parente, quales sunt tenebræ, lux prima, lux una; prima scilicet & una sine labe concepta. Quamquam si sua felici-

tate delectatur cum; cæteris omnibus peccati sorde pollutis, unam se totam pulchram & sine macula videat; tamen cæterorum calamitate, nequaquam oblectatur. Quapropter illud, quo efferri hac de causa potest, gaudium missum faciamus, & ad id festinemus, quod fuit & ipsi honorificum, & maximum divini erga eam amoris argumentum. Beneficium quodlibet & accipientem honore afficere, & concedentis amorem patefacere, tantoque magis, quanto paucioribus impertitur, in immensum vero amplificari augerique, si cæteris omnibus posthabitis uni conferatur, ecquis est qui ignoret? quam eximius Abrahamo honos ille fuit; quam perspicuum divini erga Abrahamum amoris argumentum illud, cum ejus posteris diuturnam captivitatem vaticinatus Deus, *Tu autem*, inquit, *ibis ad Patres tuos in pace? Tu* (ita Riccardum interpretantem audio) *Tu, quem præ ceteris præveni, quem præ cæteris illuminavi, tu ibis ad Patres tuos in pace, immunis ab omni indignæ & duræ servitutis oppressione.* Quam eximius Esther honos, quam perspicuum Assueri erga Esther amoris argumentum illud, cum terribili promulgato scito; lataque sententia, ut nulla sexus, nulla originis, nulla ætatis ratione habita, Judæi omnes de medio tollerentur, *non morieris*, inquit, *Regina Esther: non enim propter te, sed propter omnes hæc lex constituta est?* Quam eximius Rahab honos, quam perspicuum Josue erga Rahab amoris argumentum, cum buccinarum clangore capta ab Israelitis Jericho, in communi omnium clade, *sola Rahab vivat*, uno eodemque temporis momento totus exercitus jussu Ducis conclamavit? Quod si nec illis quidquam honorificentius evenire, nec hos commodius amorem prodere potuisse arbitramur, quanto & Mariæ major honos, & majus divini erga eam amoris indicium nobis illud censendum erit, cum

illam,

illam, non ut Abrahamum ex ejus seminis captivitate, sed ex fœdissima totius humani generis servitute vindicavit; non ut Esther Assuerus ex sancito adversus tantum Judæos edicto, sed ex luctuosissimo mortis supplicio omnibus constituto exemit; non ut Josue Rhaab ex unius urbis excidio, sed ex communi omnium cæde eripuit? eripuit e cæde, ab edicto mortis exemit, a captivitate vindicavit: at qua id ratione fecerit animadvertite. Paterna in omnes miseratione permotus sui pretio sanguinis ad servitutis vincula dissolvenda viam aperuit, mortis effugium demonstravit, vulneris medicinam instituit; Mariæ vero libertatem servari voluit, non amissam restituere, peccati sordes avertere, non eluere, vulnus ne infligeretur prohibere, non inflicto mederi. Quocirca Mariæ quoque Redemptor dicatur Christus; at ea prorsus ratione, qua Sangar Israelis servator; non quod, ut egregie rem totam nobis aperit Augustinus, *nocuerit hostis aliquis, sed ne permitteretur nocere*. Redempta, etsi nemo redimi, nisi captivus possit; dicatur Virgo, dummodo Josiæ ea sit captivitas, qui referente Matthæo genuit Jechoniam, & & fratres ejus in transmigratione Babylonis, etsi nunquam, ut nobis eruditissimus testatur Liranus, Josias transmigraverit. Sed nimirum iccirco mentio transmigrationis incidit, quod Hebræus cum esset in eam pervenire captivitatem debuerat, quam peculiari beneficio divinitus effugit. Hujus itaque, quo de loquimur, beneficii quanta sit magnitudo vel me tacente intelligitis, Auditores, tum ex eo quod multo præstantius est, ut mihi Scottus quoque assentitur, malum imminens propulsare, quam illato remedium quærere, tum ex eo quod uni huic Virgini collatum fuerit. Quibus igitur divinum ejus præconiis, aut titulis decus efferam? Jesseam ne virgam dixero? mecum Damianus facit. *Germinat*, inquit,

Vir-

Virgo Jesse de tortuosa humani generis radice, & de Patriarcharum arbore in altitudinem erumpens foliorum tenebras nescit. Nubem ne lucidam, ejus similem, quæ fugientibus olim Israelitis tramitem aperiens ex Ægyptiorum manibus incolumes eduxit? Subscribit Origenes. *Ecce Dominus sedet in nube non habente aliquam peccati gravedinem*. Palmam ne Cades? Suffragatur Riccardus, qui *Cades* sanctam, translatam, mutatamque interpretatus, exaltatam Virginem inter illos, qui de malo ad bonum translati sunt, fuisse ait; quod, cum cæteri ex conceptione ad vitam commigrantes ex peccato ad gratiam ope Baptismi commigrent, illa de bono ad bonum, de gratia ad gratiam, de impolluta conceptione ad integerrimam vitam translata fuerit. Vitem ne odoris suavitatem efflantem? Calculum adiicit Patavinus Antonius. Quemadmodum enim aliis arboribus illa citius radices agit, & se se altius condit in terræ sinu, ita & altius Maria Deo cæteris adhæsit, & citius, quæ Jeremiam quoque ac Joannem, post conceptionem in Parentis utero divina gratia præditos prævertens jucundissimum jam ante sanctitatis odorem emisit. Virentem ne Sionis Cypressum? rationem subdit Isidorus; quod instar cupressus vehementi corticis odore angues quosdam ab se avertentis, teterrimum Serpentem ab se depulerit, ac virus in eam evomere cupientem fugaverit. Egregie adhuc omnes: illustria præconia. Aptius tamen Divinus Sponsus; illustrius de sua Sponsa præconium illud; *una est perfecta mea, una est*. Magnum profecto beneficium esset originis labem non contraxisse, quo perfecta vere diceretur, & esset, tametsi cum aliis illud commune foret; maximum vero est, quod nemini præterea concessum. Quare quid Aaronis virga, quod Noemitica navis, quid speciosa, sive ut ad rem meam aptius alii, specialis oliva, quid voluptatis Paradisus my-

sterii

ſterii præ ſe ferrent, jam modo non obſcure percipio. Duodecim ex duodecim Tribubus translatis a Moſe in Tabernaculum virgis, unam Aaronis *in domo Levi* frondeſcentem, gemmiſque turgentibus emittentem flores invenio. Erumpentibus jam cælo nimbis, ſe ſeque fluctibus in altum attollentibus, totam quanta quanta eſt immenſa aquarum mole obrui tellurem video, montium juga cooperiri, animalia opprimi, omnia tandem deformari, unam vero Noe navim ſartam tectam hac & illac excurrere, non copia imbrium ſubmergi, non ventorum impetu jactari, non vi procellarum elidi. Cum ita in immenſum ultrices aquæ excreviſſent, & quaque verſus excurrentes omnia late pervaſiſſent, ab uno Terreſtris Paradiſi loco (audio id quippe ex graviſſimis Eccleſiæ Patribus) prope lunarem globum ſito vim ſuam cohibuerunt. Ubi vero decreſcentibus paullatim undis ipſa detegi terræ ſuperficies cœpit, neque ulla eſſet camporum facies, nulla pratorum amœnitas, nulla arborum viriditas, ſola, etſi cum cæteris conſita arboribus, frondeſcentium ramorum viriditatem oliva retinuit. En igitur quod Canticorum Sponſo diu, noctuque urbem circumeunti, paſſimque, *cui aſſimilabo te?* percunctanti ſatisfaciat. Cui delicias tuas apte conferre poſſis, ſciſcitaris? Apte Aaronis virgæ conferas, quæ una flores emiſit: apte Noemiticæ navi, quæ ex communi naufragio una evaſit; apte ſpeciali Olivæ, quæ frondium jacturam una non ſenſit; apte voluptatis Paradiſo, ad quem unum immanes undæ non acceſſerunt. In hunc itaque voluptatis hortum, tanquam in domicilium ſibi debitum pedem Maria inferat, ibique ſe unam jure quodam ſuo commorari glorietur, quod illud ſcelus ad ſe unam non pervenerit, quod olim in cauſa fuit, cur primi humani generis Auctores ab illo omnibus affluenti deliciis loco excluderentur. Nec iis tantum

ſe

se se contineat finibus, sed ipsius prætergressa Lunæ orbem cælo se se inserat, ad illud cælestium spirituum concilium, cœtumque proficiscatur. Hic humani generis Parentes, illic Cælestes Spiritus eduxit e nihilo Deus. Tum vero utrosque originis justitia, sanctificante gratia, infusis virtutibus exornavit, distinxit, instruxit. Verumtamen cum ab ipsis præpotentis Dei manibus tum prodirent, proindeque nulla conditionis culpa obstringerentur, nulla Parentum fœdarentur nequitia, nulla notarentur infamia, nullis legibus damnarentur, nulli crimini obnoxii forent, non est cur magnopere miremur pulcherrimos, omnisque maculæ immunes simul atque extiterunt apparuisse. At promulgato jam æque in omnes mortis edicto, quod sanctum neminem unum excipiebat, at ipsis avernalibus furiis in ipso vitæ aditu prædæ inhiantibus, at ineluctabili, quod omnes irretierat, arctissimeque devinxerat, objecto sceleris vinculo, liberam intemeratamque, vel ipso quo primum cœpit esse momento, extitisse Virginem, hoc enimvero novum, hoc inauditum, hoc unum, hoc admiratione plausuque maxime dignum. quid quod ea gratiæ lux, quam primi terræ, cælorumque accolæ sortiti sunt, ut egregie scripsit Idelphunsus, multoque jam ante luctuosissimus confirmavit exitus, *ante firmitatem labens, ante stabilitatem ruens; ante robur titubans fuit*, nec proinde cum vehementissimo ejus gratiæ splendore conferenda, quæ in ipsa Conceptione Virgini obvenit, quippe quæ altissimis defixa radicibus nulla vi unquam evelli, nullo tempore imminui, amittique potuit. Ac mihi quidem ejus naturam attente perpendenti tanto cæterorum gratiæ videtur præstare, quanto astris Sol ipse antecellit, non modo radiorum copia, verum etiam perpetuitate atque constantia, quod æque semper fulgeat, nec unquam luminis imminutionem, aut jactu-

jacturam patiatur. Quapropter nunc tandem intelligo quam inscite Sponsum, *cui assimilabo te?* clamantem monuerim, cui conferre Virginem posset, cum ipse electam ut Solem aptissime dixerit. Quemadmodum enim si ex omnibus astris, sideribusque, quæ vel cælo infixa hærent, ac perpetua manent, vel immutabilibus spatiis ab ortu ad occasum commeantia circulos suos orbesque conficiunt, facienda esset electio, ea in Solem caderet, itaque caderet, ut non collatus cum cæteris, sed ut singularis exciperetur, ita non ut una ex multis, sed unica & singularis ad hanc dignitatem electa Virgo pervenit. Electa igitur, dicam iterum iterumque, electa est Maria, electa ut Sol; quia non solum rebus creatis omnibus, quotquot in terra sunt, quotquot in cælo nobilior est (ita enim compararetur cum aliis) sed singularis est, nemini conferenda. Qui enim *reperit in Angelis pravitatem*, *tota*, inquit, *pulchra es*, *& macula non est in te*. Sed eo me progressum intelligo, Auditores, ut hujusce lucis non meam modo, quæ sentio quam sit infirma & hebes, sed acrem cujuslibet mentis aciem perstringentis vim sustinere nequeam, nec ulterius sine periculo me progressurum existimem. Cum igitur tantam gratiæ amplitudinem neque amplius contemplando persequi me posse sperem nec oratione complecti ulterius confidam, illud a B. Virgine enixe petendum mihi video, ut cum ipsa nostra calamitas atque indignitas ejus singularem gratiam, & eximium decus magis ac magis demonstret, nostri miseratione permota incommodis, quæ inde contraximus, suppetias ferat.

Do-

Dominator Domine ex omni silva Terræ, & omnibus arboribus ejus elegisti tibi vineam unicam.

Esdr. 4. 5.

Arboribus densis, tristique horrenda recessu,
Tollitur implexis aspera silva rubis.
Heu Boreas late silvam spoliavit honore!
Heu nulla arboreis decidit umbra comis!
Prata suum amisere decus morientibus herbis,
Arida non ullo germine vernat humus.
Ipsa heu deserta est vitiatis vinea ramis,
Vinea præ cunctis fructibus utilior.
Heu tibi commissæ vitis male provide custos!
Omnis, Adam, clades de capite orta tuo.
Noxius in mœstas Aquilo furit impete silvas,
Lenis ubi quondam perstrepuit Zephyrus.
Valles, atque agros, & amœnos demetit hortos,
Et nemora, & celsis robora nata jugis.
Narcissi, casiæ, violæ, æternique amaranthi,
Et quæcumque novo e germine planta viret,
Pestifero afflatu tantum contacta decorum
Demittit subito lurida facta caput.
Pro quibus incautos læsura aconita legentes,
Toxicaque admirans non sua Terra parit.
Sol Pater avertitque facem, currusque volantes,
Nec rutila ingratam lampade vestit humum;
Sed circumvolitans nigricantibus incubat alis,
Invisum tenebris nox adoperta caput.
Servat atroci aditum vultu mors pallida, & altus
Horror inacessas excubat ante fores.
Crebra ferit, ramosque ruens pice nigrior imber
Disiicit; horrifico murmure silva fremit.
Sed florete iterum silvæ, plantæque virete
Jam melior custos arva, nemusque colet.

Non

Non hic restituet primævæ ætatis honorem:
Divina exitium sed reparabit ope.
Non illam Boreas, non illam diruet imber:
Imperat & ventis, imperat & fluviis
Qui vitem hanc servat, cui noxia qualibet arcet;
Hac ope divina hæc unica vitis eget.
Jam videor cultos Engaddi errare per agros,
Vitis ubi agresti sepe recincta viret.
Tolluntur platani hanc circum, & virides Cyparissi,
Frondentesque levis permovet aura comas.
Huc huc quando diem surgens Aurora reducit,
Purpureoque udam lumine vestit humum,
Cælestis properat cultor vitem undique lustrans,
Illi ne vepres, neve feræ noceant.
Submittit varios tellus formosa colores,
Quo flectit teneros Vinitor ille gradus.
Gramina consurgunt passim, tangique beato
Certatim gestit qualibet herba pede.
At suavem late diffundit vitis odorem,
Quo silva, & densum fragrat ubique nemus.
Fragrat ubique nemus diffuso vitis odore, &
Serpens florentis vitis odore fugit.
Quam pulchre assurgit, fæcundosque undique ramos
Extendit! quibus o fructibus illa tumet!
Fortunata nimis, multo & felicior illa,
Qua ternis visa est surgere palmitibus
Ægypti Regis famulo, quamque omine plenam
Venturi Joseph præscius exposuit.
Unius vitam portenderat illa ministri,
Humani vitam prædocet hæc generis.
O felix botrus! botro felicior illo,
Quem prædives opum Cypria terra tulit.
Redde tuos citius vitis pulcherrima fructus:
Augenda est ingens fructibus ara tuis.
Redde merum; nostro fundemus pocula Regi.
O puris utinam faucibus inde bibam!

Ex

Ex omni terra Orbis elegisti tibi foveam unam.

Ibidem.

Nidis loquaces arboreis aves
Feraque vestris eja cubilibus
Defendite anguem, quem cruenta
In teneros rapit ira fœtus.
Heu qualis anguis! lurida quæ lues!
Non tale tellus protulit Africa
Monstrum, sed hujus lucis hostem
Tartareæ vomuere sedes.
Ille ore nidis, atque cubilibus
Adstans hianti protinus arripit
Partus voraturus recentes:
Heu! miseræ prohibete matres.
Quin & maligno fœdus anhelitu
Spargit veneno progeniem sinu
Matris latentem. ah! si potestis,
Perniciem prohibete matres.
Frustra ah! remotas quæritis arbutos,
Occulta terræ viscera quæritis
Heu frustra! ubique urget locorum
Sanguineo metuendus ore.
Impune nidos, atque cubilia
Devastet anguis? quis caput atterat?
In orbe quis tutus recessus
Alitibus fuerit, ferisque?
Est una in Edom, est fovea unica,
Quam bile tollens colla tumentia,
Fundensque tetrum virus ore,
At metuit coluber, fugitque.
O ter beatam dicite Virgines,
Terram beatam dicite Puberes:
Abscessit anguis. Judæ ibidem
Nempe Leo posuit cubile.

Ex

Ex omnibus floribus Orbis elegisti tibi Lilium unum.

Ibidem.

I

Hortus adest. titulus; Procul hinc, procul este Profani:
Hic Amor est. *aliis invius hortus adest.*
Vatibus at sacris fas est Duce Numine inire:
Nulla mora, ingredior: dux mihi sanctus Amor.
Quæ mihi se rerum facies pulcherrima pandit,
Perstringensque oculos quæ nova forma meos?
Monstrat Amor flores dextra, lævaque, hyacinthos,
Serpillum, Casiam, Lilia cana, Rosas.
Hic engaddi uvæ, hic Libani de vertice Cedri,
Cupressusque Sion, Palmaque pulchra Cades.
Florent hic fulvam stillantia Cinnama myrrham,
Et pallens suavi nectare Nardus olet.
Ast alios inter pulcherrima Lilia flores
Aspice, Virginei signa pudoris, ait.
Sanguinis hasce vides per candida Lilia guttas?
Lilia virgineo sanguine tincta vides.
Advolat Aligerum circum pictis chorus alis,
Deproperant pulchra lilia sumpta manu.
Et certamen habent, florum decora alta recensent,
Et poni cupiunt omnibus ante suum.
Ast alio incedens tacito pede reflectebat
Lætitia, atque Jocus, Gratiaque alma præit;
Lilium & ostendit, quo non formosius ullum
Edidit, aut edet Hortus amabilius.
Ut beat adspectu! quam non mortale videtur
Germen! ut exsurgit celsius illud humo!
Hoc sibi sanctus Amor, qui lilia pascitur inter,
Eligit, electum ex millibus illud amat.
Nec pudet aut molli lymphas deducere clivo,
Vicinisve umbram texere viminibus.

I Hic

Hic ver perpetuum est, hic ludit lucidus aer,
Regnat Amor, visus dicere, regnat Amor.
At mihi jam tacitum pertentant gaudia pectus,
Impulsuque auræ barbitos icta sonat.
Flosculi, amor Domini, pulcherrime Floscule; salve;
Lacte, atque intactis candidior nivibus.
Tangere non audent gelidæ te nocte pruinæ,
Lucidulo plenum sed tibi rore caput.
Vicino haud tangunt Galaad de monte capellæ;
Non anguis turpi gutture commaculat.
Vitalis tibi succus inest, cunctisque salubris,
Officit adspectus anguibus ipse tuus.
Ut platano coryli cedunt, ut floribus herbæ,
Florum sic cedit tota caterva tibi.
Vertice curvantur myrthi super impendentes,
Atque tuos spargunt flore cadente sinus.
Parcite, quem custodit Amor, vos lædere florem,
Frigora, tu radios comprime Phœbe, tuos.
Discite vos spirare leves jucundius Auræ,
Ducere nectareas discite Rivuli aquas.
Mirantur Nymphæ, Zephyri mirantur, Olympus
Nescius exultat, nescia gaudet humus.
Nam meliora latent: Amor at plus cernit, & intus
Plus aliquid flos hic, quod mage ametur, habet.
De radice ejus flos nempe ascendet, eumque
Desuper incumbet, & requiescet Amor.
Scilicet hæc Virgo est, electa ex millibus una
Quot sunt, aut fuerunt inclyta Virginibus.
Dicebam: sed Amor foliis se se abdidit imis.
Ite leves venti, dicite adesse diem.
E foliis nostras vox reddita fertur ad aures,
Ite leves venti, dicite adesse diem.

Ex

Ex omnibus abyssis maris elegisti tibi rivum unum.

Ibidem.

Ô qui lucidula refertus unda
Blando Rivule defluis susurro,
Sic fons perpetuam ministret undam,
Nec te Sol nimio perurat æstu:
Dum tuas meditor referre laudes,
Murmur comprimito, remitte cursum.
Salve, o Rivule; fluminum ocelle,
Salve amor superum, decusque terræ.
Te non Oceanus, nec auxit imber,
Deus nectareo sed auxit imbre,
Et pura dedit esse puriorem
Gemma huc Æthiopum relata ab Orbe.
Te non anguis anhelitu; nec ore
Aut feræ nemorum, aut agri capellæ,
Nec frons arboribus cadens, nec ullus
Turbavit pede, saxulisve Pastor.
At ripæ vario nitent colore;
Seque, ut in speculo, decenter herbæ
Adspectant in aquis, caputque tollunt:
Ludunt cum Zephyris aquæ, adque cursum
Passu illos tremulo incitare gaudent:
Sanctus quin Amor, ut columba, gaudet
Has super placidis volare pennis
Persæpe, & cupido attigisse rostro.
Quid Jordanis ovans revolvis undam
Cunctis fluminibus superbiorem?
Te te Rivulus hic honore vincit.
Hic est fluminis hic origo rivus,
Cujus recreet impetus Dei Urbem.
Hic aquam unus habet suaviorem
Suavi nectare, quam aridis labellis

Quicumque ebibit, is repente fœdo
Ab sinu excutit incubantem amorem,
Cælestique animum perustus igne,
Terræ turbidulos lacus relinquit.
O queis cor nimis & nimis cremarunt
Flammæ sordidulæ, venite ad undas;
Undæ frigidulæ levate flammas,
Flammæ sordidulæ perite ad undas.
At te perpetuo colam, atque amabo,
Dulcis Rivule; fabulosus usque
Vilescet mihi Pegasejus amnis;
Te venam mihi porrigente, de te,
Seu lucem tenebris fugabit Hesper,
Luce seu tenebras dies fugabit,
Versus condiderim elegantiores;
Non quos molliculos Catullus, at quos
Castos Rex cecinit Propheta, eroque
Tanto maximus omnium Poeta,
Quanto es maximus ipse rivulorum.

Ex omnibus ædificatis Civitatibus sanctificasti tibimetipsi Sion.

Ibid.

Colle super, placidis quem proximus alluit undis
Jordanis, Cælum quem dulci nectare pascit,
Urbs ingens, augusta (Sion ab origine prima
Impositum jam nunc servat per sæcula nomen)
Qua nihil in terris complectitur altius æther,
Sublime erigitur, cui non par altera surget,
Ipsa licet natura & ars conjuret amice:
Atque per ingentes suspensis molibus arcus,
Quales haud unquam Ægyptus, vel corniger Ammon,
Aut juvenum lacrymis vidit celebratus Osiris,
Aerios nectit tractus, propiusque revisit.

So-

Solem flammifera lustrantem lampade terras.
Quid primum memorem, aut medium, quo fine quiescam?
Singula cum poscant dias in carmina vires.
Mœnia num dicam? solidis horrentia pinnis,
Turritæque arces, & inexpugnabile vallum,
Quo nunquam potuere hostes succedere muro.
An genus armorum referam, instrumentaque belli,
Non hominum cælata manu? Mavortis in antro
Mulciber arma alius fudit, longasque sarissas,
Fatiferosque enses, galeasque ex ære rigentes,
Corytosque leves, incisaque scuta colubris.
Quid quæ sublimes tectis regalibus ædes,
Et libyco fulgent augusta palatia saxo,
Septenisque patent maculosis fulta columnis
Atria, compositis interlucentia gemmis,
Atque auri, quod lambit ebur, distincta figuris?
Quis strepitus, clamorque virum, elangorque tubarum
Abrumpit vocem? quæ vox pervenit ad aures?
Arma parate citi, muros conscendite Cives,
Ultima fata vocant, venienti opponite pectus
Hosti, ne victrix alias captiva Tyranno
Pareat augusta Urbs, manibusque ad terga revinctis
Virgineos laniata sinus, lacerata capillos,
Pulvere & immundo faciem polluta superbos
Victoris fastus videat, pompasque Triumphi.
Illa tamen quamvis tot monstra immania certent
Expugnare armis, penitusque evertere ab imo,
Inconcussa manet veluti Marpesia cautes,
Frontibus adversis cum miscent prælia venti,
Atque cient nimbos, tempestatesque sonoras.
Ante fores victi nigrum vomuere cruorem
Indignati hostes, Stygis & fugere sub umbras.
Alma Urbs ante alias fortunatissima, & una
Ante alias Urbes superum gratissima Regi,
Quam solam incolumem voluit, neque sortis acerbæ
Participem, olim contra omnes effusus in iras;

Salve Urbs ante alias fortunatissima, & una
Ante alias Urbes superum gratissima Regi,
Salve, perpetuo tibi prospera sæcula currant.
Quid loquor? ambiguis tandem velamine dempto
Res pateat, Virgo genus alto a sanguine Judæ,
Quam Deus, ut primæ fugeret fera vincula culpæ,
Expertem labis materno in ventre beavit,
Et contra incassum tendentem contudit hostem,
Virgo salus hominum, per quam data visio pacis,
Quam voces veterum, & sancti cecinere Prophetæ,
Instauraturam cælestia fœdera pacis,
Vera est illa Sion. Fortunatissima Virgo,
Per te si cunctis reclusa est janua Cæli.
Ne frustra reclusa mibi sit janua Cæli.

Ex omnibus volatilibus elegisti tibi columbam unam.

Ibidem.

Ubique sunt pericula,
Ubique circumstant doli.
Venator altis montibus,
Silvisque prædatur feras:
Piscator altis retia
Tendit sub undis piscibus;
Crudelis Ales improbo
Rostro timendus alites
Sectatur uncis unguibus.
Una at Columba candida,
Quæ lacte puro purior,
Magisque pura lilio,
Flocci hostis atros æstimet
Ungues madentes sanguine.
Nam fontis illa vitrei
Puras aquas supervolat:
Hic se ipsa spectans inspicit

Ho-

Hostem ruentem, & illico
Tutas in undas mergitur.
Virgo una vitales prius
Quam hauriret auras ætheris,
Divini Amoris lucidum
Mirata fontem, subdolum
Delusit hostem, & aridas
Frustrata fauces improbi.
Salve Columba candida,
Quæ lacte puro purior,
Magisque pura lilio,
Da nostra quæso candido
Certare lacti pectora.
O Virgo Salve, candidum
O puritatis lilium,
Tu quæso nostra pectora
Amoris icta vulnere,
Virgo, irriga dulcissimo
Divini Amoris nectare,
Ut colliquescant dulcibus
Divini Amoris ignibus,
Illumque semper quæritent,
Illumque semper diligant,
Qui vera lux amantium.
At quem tibi non editæ
Uni videre contigit,
Post fata saltem perfice
Nos Te precante cernere.

Ex omnibus plasmatis pecoribus providisti tibi ovem unam.

Ibid.

Felices montes, & montibus addita silva,
Et Galaad oculis rura decora meis,

Et qui dum prono præceps te vertice volvens
Fers Jeboc magno magna tributa mari,
Pulchre intertextas cernis circum undique ripis
Ludere mille rosas, lilia mille tuis,
Dicite quo amne bibat, vel quo pascatur in agro
Molle gerens tergo candida vellus Ovis,
Agni mater Ovis, qui humanum sanguine solvat
Mortis ab infausta conditione genus.
Felices montes, voluit queis ipse supernus
Ipse suas Pastor credere delicias;
Cum vectus rapidis pavidum super æthera ventis,
Irataque vibrans fulmina sæva manu
(Heu commune nefas! quanti stetit una voluntas!
Orta mala hinc nobis, ut bona ducta forent.)
Ah pereat, dixit, pereat sub vindice dextra
Una omne, ingratum si fuit omne, pecus.
Quando ego dicebam, puro bibite amne capellæ,
Tunc ex immundo nempe bibere lacu.
Quando ego dicebam, cytisum depascitor agna,
Tunc es pasta malos pro cytiso agna rubos.
Quando ego dicebam, æstivis fuge ab ignibus Hæde,
Tumque sub æstivis ignibus hædus erat.
Quid juvit lavisse tuis, Jordanis, in undis,
Plena domum ut ferrent ubera lactis oves?
Quidve hædis conspersa novo dare gramina rore,
Vellera ut inficeret docta rubore Tyros?
Nulla tamen presso spumavit ab ubere mulctra,
Vellera & infecit nulla rubore Tyros.
Ah ergo ingratum pereat sub vindice dextra
Omne una, ingratum nam fuit omne, pecus.
Igne febris, viru serpens, & dentibus acer
Incustoditum perdat ovile Lupus.
(Heu commune nefas! quanti stetit una voluntas!
Unus quod voluit, posteritas voluit.)
Una tamen vacuo mihi Ovis servetur ovili:
Digna una est, Pastor quam sibi servet Ovem.

Illa

Illa mihi maculas referens in vellere nullas,
Vellere hyperborea candidiore nive,
Pascatur, Galaad sinuoso ubi flumine colles,
Et variis Jeboc flexibus arva rigat,
Ejus cælesti vellus dum rore liquescat,
Quem gravido nubes mittet amica sinu.
Seu puras rivi leviter libaverit undas,
Tum rivi felix dulcius unda flue:
Seu campi virides leviter gustaverit herbas,
Campi extolle caput lætius herba tuum.
Frustra illam viridi, pendentem e rupe veneno,
Lethiferaque anguis spargere tentat aqua.
Intentis custodit Amor Cælestis ocellis:
Hæc cubat? Is vigilat. pascitur? advolitat.
Non periit: Pastor gaudet; gaudebit at idem,
Si me, quæ perii, Pastor ovem inveniat.

Ex omnibus multiplicatis populis acquisivisti Tibi populum unum.

Ibid.

Mariæ sumus in fide
Puellæ, & pueri integri:
Mariam pueri integri
Puellaque canamus.
Salve, o decus ætheris,
Salve, gloria cælitum,
O Regina, propaginis
Jesseæ inclyta Virga.
Communi voluit Deus
Te unam crimine liberam
Æternum edere Filium,
Absque labe pudoris;
Ut dux Virginibus fores
Mater Virgo sequentibus.

Ma-

Mariam pueri integri,
Puellæque canamus.
Pro mirum! numerat suos
Humanum omne genus Patres,
Ætas nomina quælibet
Gaudet noscere Avorum:
At turba inclyta Virginum
Pares haud numerat Patres,
At per se sine traduce
Longum vivit in ævum.
Præclarum o populum! sibi
Quem sacrum voluit Deus.
Mariam Pueri integri,
Puellæque canamus.
Hæc est Virginei Chori
Princeps, hac duce Virgines
Adducentur Olympio
Dantes lilia Regi.
Illa & Virginibus Deo
Fuit charior omnibus;
Namque huic munera gratiæ
Dedit Matris in alvo.
Mariæ sumus in fide,
Puellæ, & Pueri integri.
Mariam Pueri integri,
Puellæque canamus.

Conclusio.

O nova Progenies, o formosissima rerum,
O Virgo, o nova lux, o sine labe anima!
Et cui sorte datum, ne tot de millibus unam
Antiqui sceleris læderet atra lues;
Sive refers Vitem, seu Florem, sive Columbam;
Sive Sion, Fovea, aut diceris Amnis, Ovis;
O qua-

O quacumque venis sub imagine, candida tota,
Candida lacte magis, candida luce magis;
Si Te Dius Amor cælestibus inserit astris,
Non commune genus dissimulare potes.
Sed luctu est nobis, Tibi qui fuit ortus honori;
Ergo cognati sanguinis esto memor.
Occidit una domus, sed nos pressere ruinæ;
Ergo cognati sanguinis esto memor.
Mergitur una ratis, sed nos tantum obruit unda:
Ergo cognati sanguinis esto memor.
Esto memor Virgo, & longum miserata laborem,
Si Tibi honor Dominæ est, cor quoque Matris habe.

Anni incerta memoria.



DE

DE
DEIPARA DOLENTE.

PRÆFATIO.

DEliberantibus nobis in communi per id temporis omnium bonorum triſtitia luctuoſiſſimam Paſſionis Chriſti memoriam revocare, debitam quamdam mœroris noſtri ſignificationem exhibituris, imparem dolori animum atque identidem deficientem afflixit, atque adeo perculit tam acerba recordatio, ut, quantum pietas ad eam contemplandam hortabatur, tantum ab ea retraheret miſeratio. In hac utrinque diſtracti animi lucta ſtatuimus, omiſſa morientis Filii meditatione, in dolentis Matris anguſtiis mentem cogitationemque defigere, rati ſuſceptam animi curam moleſtiamque minorem fore. Minorem? Immo in hoc intendentes animum experti ſumus etiam majorem. Cum enim ex eo fonte Mariæ dolores omnes profluxerint, non iſti proponi nobis ante oculos potuerunt, quin Chriſti quoque acerba calamitas, & perpeſſio longe graviſſima occurreret, ut propterea in conditione Filii pluſquam ſatis per ſe miſeranda mœrorem nobis auxerit materni doloris cogitatio. Ecquod tam luctuoſum, tam triſte, tam tragicum depingi unquam exemplum poteſt, quam quod una hæc infeliciſſima Mater per ſe nobis obtulit, cum Simeonis futuras Filii ærumnas prædicentis Oraculo ſibi animam tanquam gladio transfigi ſenſit; cum conquiſitum ad necem puerum Angeli juſſu in remotiſſimas regiones celeri fuga transferendum audiit; cum illo Jeroſolymis amiſſo per tres dies ac noctes lacrymarum vim quærens anxie ſolliciteque profudit; cum pati debuit Filium, &

hujuſ-

hujusmodi Filium indignissimam subiturum mortem a se divelli; cum ab impia turba pertrahi crudelissime vidit; cum Cruci affixo astitit inter duos latrones infanda cum ignominia expiranti; cum in Cadavere e Cruce deposito vibices, vulnera, laniatus contemplata est? O tempora tibi aspera! o dies atros! o amantissimæ Matris angustias! Tu quoque transeuntes per viam, per me licet, interroges, ut attendant, videantque, *si est dolor similis sicut dolor* tuus. Quæ tanta potest unquam existere ubertas ingenii, quod materiæ par genus Orationis, quo quisquam complecti omnia dicendo possit? quis interim adeo omnem abjecerit humanitatem, ut hæc cogitando non commoveatur, non ploret, non ingemiscat, ac tantam pelagi vastitatem e litore prospiciens turbulentissimis angustiarum tempestatibus, quasique fluctibus non exhorrescat? Sed quoniam e portu solvimus, vela facienda sunt, veniendumque in eam altitudinem maris, in qua Mariam tempestas demersit. In hoc porro argumento, relicta veteri Academicorum in contrariam partem disputandi consuetudine, singulos dolores pro virili singuli dicendo prosequemur, non alium alio probando graviorem, sed unumquemque exponendo gravissimum, vobis non solum pro humanitate vestra faventibus, sed etiam nihilo plus quam quantum a mœsto turbatoque ingenio præstari potest pro æquitate postulantibus.

Ecce hic positus est in signum cui contradicetur, & tuam ipsius animam doloris pertransibit gladius.

ORATIUNCULA.

Eam statuit natura legem hominibus vere humanis, ut funestum quidpiam nuntiare si debeant, mollissimis verbis utantur, audientisque animum artificioso

cioso Orationis circuitu pertentent, ut si minus vulnus declinari potest, non tam alte tamen telum ipsum infigatur, leviore quasi brachio contortum. Quo uti cum omnibus homines sciunt temperamento doloris, hoc cum Virgine adhibitum minime video, ut cujus Filius Vir dolorum dicendus erat, ipsa dolorum Mulier jure posset appellari. Ingrediamur Jerosolymæ templum. Ibi Simeon Sanctissimum Puerum sinu complexus, totumque lacrymis rigans quid tandem Matri prædicat, quo modo prædicat, audiamus. *Ecce hic positus est in signum, cui contradicetur, & tuam ipsius animam doloris pertransibit gladius.* Tuam, Mater amans, tuam, Mater dolens, hoc ipso dolens, quia Mater, & amans. Num verborum lenitas, aut dicendi quæsitæ formulæ, quibus Matris ægritudo elevaretur, aut obtunderetur? quid ferri aciem Matris animam transfixuri prænuntias? Sermo ipse, Simeon, tuus penetrabilior omni gladio ancipiti, pertingens usque ad divisionem animæ, & spiritus. Omnia enim quæ postea Christus perpessus est atrocia atque crudelia in propheticis verbis expicta, expressaque Mater prævidit, prævidendoque uno velut ictu omnia dolorum vulnera excepit. Jam tum impiæ insanientium Judæorum voces resonabant illi in auribus, quibus tanquam seditiosus homo, & falsarum opinionum seminator (ille veræ Sapientiæ sator, & fons) traduci debebat: istæ voces vulnus erant. Jam tum Sacerdotum invidiam, Pharisæorum machinationes ejus doctrinam damnantium, & Principum inter se dissentientium in ejus mortem conspirationem, atque consensum intuebatur: omnia hæc vulnus erant. Jam tu Petri perjurium (sit verbo venia, fortunatissimum Pœnitentium exemplar, Sanctissime Apostolorum Princeps, sit venia) Judæ proditionem, reliquorum fugam Apostolorum mente complectebatur: Juda proditor, Petrus perjurus, deser-

sertores reliqui vulnus erant. En contradictiones in illud signum intentæ, & dolentis Matris animo, ex quo Oraculum audiit, occurrentes. En ut ferrum pertransiit animam ejus; cui tota simul futurorum tormentorum series se se aperuit, seque clarissime videndam obtulit. Ipsam ex eo tempore excruciabat Filii hac & illac irrisionibus traducti, verberibus proscissi, spinis perterebrati, funesta Golgothæ juga scandentis, de Cruce pendentis, ultimumque spiritum exhalantis intuitus. Quam acerbum existimemus dolorem illum, quem simul omnia, quæ Christus perpessus est, Virgini pepererunt? Nempe tum cum singula suo tempore re perfici conspiciebat, amarissimum veluti dolorum poculum guttatim degustabat; ebibit vero totum, & usque ad fæcem exhausit, quo tempore Simeonis verba mœstissima Mater audiit, omnemque malorum molem innocenti capiti impendentem suspexit. O voces, Simeon, tuas, quæ semel auditæ ex animo nunquam Virginis defluxerunt! O gladium, Simeon, tuum, cujus acies nullo temporis decursu est hebetata! o vulnera doloris & mœstitiæ nulla voluptatis contemplatione, aut contrectatione, tanquam fomento, lenienda! Neque enim erat in illius potestate a lacrymis mœroreque cessatio, fodicantibus iis rebus, quas innocenti Filio imminere sentiebat. Non sinebat maternus amor abstrahere mentem ab acerbis cogitationibus, & a tormentorum præmeditatione receptui canere ipsa tormentorum sævitia vetabat. Nihil ergo erat, quod non ejus oculis Christum injuste maximos cruciatus ferentem obiiceret, refricaretque illius memoriam temporis, quo magnopere esset defletura præsentia, quæ eventura defleret. Fascias ne tenero Infantis corpori obducebat? veniebant in mentem vincula quibus eum constrictum iri sciebat. Sugendum ne virgineum lac esurienti præbebat? mixtum de Cruce pen-

pendenti cum felle acetum cogitabat. Josephum a fratribus venditum Ægyptiis legebat? (erat enim ejus in Sacris Litteris quotidiana occupatio) In illis Judam execrabatur, in altero Christi vicem deplorabat. In Isaaci sacrificio Filii mortem lugebat; in Saræ afflictione mæstitiam angoremque suum prænuntiatum esse intellligebat. contemplabatur dulce ridentem puerum: quem hominum formosissimum Propheta præviderat, ipsa videbat. Contemplantis animum ea cura exedebat fore, ut pœnarum diritate ita olim deformaretur, ut nullus in eo esset adspectus: osculabatur mundi artifices manus, lacrymisque simul rigabat, cum durissimis clavis fodiendas recordaretur. Pupugit memoriam tuam mœstissima Virgo, & voluntatem, & mentem crudeli ictu gladius iste propheticus. Graves enim pœnas graviores reddebat patientis cognitio; supraque hominum consuetudinem, atque adeo vires sibi dolendum esse percipiebat, quæ supra hominum conditionem positum eum esse, pro quo erat dolendum optime noverat: non tantum Filius lugendus erat, Deus erat lugendus in Filio, proque iis omnibus flendus, qui ipsum crucifigentes nihil ingemuerunt. Quod Dei Mater fuit, immensus honor fuit Virginis; quod Filius Deus cruciaretur, immensus dolor fuit Matris. Probe illi perspecta erat & cognita dignitas Christi; Christi dignitate suppliciorum ejus gravitatem, & sui amplitudinem metiebatur doloris. Quid ergo ardentius eam exoptasse putemus, quam ut tantam tormentorum vim talis Filius declinaret? hoc sane erat, quod maternus amor unice cupiebat, & tamen erat hoc, quod ipse velle non poterat; horrebat Mater Christi mortem, ejus recordatione contremiscebat: Æterni Patris Filii mortem statuentis decreto famula, & Filia subscribebat: durum erat Deum & Hominem tam exquisitis cruciatibus perimi; hoc

ta-

tamen pretio hominum salus erat emenda; quod Filius ipse solvendum susceperat; cujus repugnare voluntati Matris religio non poterat. Ita dum animum in contraria trahebat hinc amor, hinc obedientia, dolor & ægritudo, totum occupaverat. Cuinam ergo dolori dolorem hunc tuum æquiparabimus, aut quem lacrymis tuis ponemus modum, Virgo, filia Sion? Magna est enim, velut mare, contritio tua, in quod intuentes frustra litus, portumque quærimus. Quid illud dicendo augere conamur? Fletu nostro potius augeamus, si tamen aliqua ex parte potest augeri. Lacrymis Matris Filii tormenta deflentis filiorum lacrymas mœrorem Matris deplorantium misceamus; lugeamus cum ipsa, si lugere quantum ipsa non possumus.

Accipe Puerum, & fuge in Ægyptum:

ORATIUNCULA.

Quæ Angelorum consuetudine recreari sæpe, & futurorum impendentium Christo malorum imaginem perpetuo inhærentem animo, ex quo illa Simeon prædixerat, temperare suavissimo cælestium spirituum colloquio tantisper consueverat, nunc nec opinato ab Angelo quoque solatio pristino in luctum converso, augeri sibi imminentis periculi metu dolorem sentit. Armatos huc & illuc discurrere cum ferro satellites; Herodem insana suspicione furentem conquirere ad necem Filium: domum, quam cuique leges voluerunt perfugium esse tutissimum, per sicarios Puero haudquaquam tutam esse; Patriam, quæ omnes omnium charitates una complexa est, certam perniciem minitari; fugiendum illico, migrandum alio, festinanter ab imminenti certo mortis discrimine dulcissimum pignus eripiendum. Hoc

nempe deerat Parenti miseræ acerbissima meditatione confectæ, ut e Cælo quoque, unde rerum divinarum significatione mitigabatur aliquando dolor, jam modo terrores demitterentur, atque a bonis, rerumque semper felicium Nuntiis, ad augendos magis ac magis futurorum malorum cogitatione conceptos jam animo dolores, vulnusque perfricandum novæ res perniciosæ atque funestæ denuntiarentur. Miseret me profecto, tui Mater optima, cui nulla diuturna esse lætitia potest. Et Pastorum, qui paullo ante natum Dominum venerant adoratum, & Angelorum, qui hymnis cælestibus omnipotentis gloriam celebrantes pacem concessam hominibus significarunt, & Regum, qui ab extremis Terræ partibus in obsequii argumentum regali Puero dona ad solum prostrati jacentesque attulerunt, obversabatur ejus animo per id temporis recordatio, cum omni lætitia repente in mœrorem conversa abeundum sibi cum Puero, excedendum, evadendum audiit. Quid mentis Mariæ fuisse putetis, cum anxie & sollicite a Josepho, ipso quoque timore perculso, excitata e somno, non concesso tempore quod satis esset ut se colligeret, & Puero alio deducendo necessaria pararet, intempesta nocte, cum crassis adhuc omnia occultata, & circumfusa tenebris eo magis terrorem incuterent, nec certis ingredi vestigiis fugientem finerent, lacrymis obortis, complexa ad pectus Puerum, incerta sui, plena metu secessit? Quo abit mœstissima, tristissimaque mulierum? An ad cognatam Elisabeth, ubi quærens consolantem inveniat? aut de terra sua, de cognatione sua, de domo Patris sui egressa, ut Abraham, in terram veniat lacte, & melle fluentem, ubi magnificetur nomen ejus, sitque benedicta? Nihil ego hujusmodi exuli infelicissimæ denuntiatum audio. At in Ægyptum imperatum iter, prope centum, & quinquaginta

ginta passuum millia remotam terram. Quam porro terram bone Deus! illam scilicet, in qua vel maxime vario Idolorum cultu irretiti homines tenentur, barbaries dominatur, & omne in præcipiti vitium stat. Nam quid ego illa commemorem, quæ & quanta in itinere passa sit? victus difficultates, tempestatis incommoda, longæ viæ tædia, eoque graviora, quod inter Parentum brachia deferendus Puer erat, dulcis animo sarcina, corpori tamen defatigatio. Verum quandiu a finibus suis aberit? usque dum dixerit Angelus. Quam grave & acerbum illi esse debeat a patria exulare, incertis vagari sedibus, avulsam esse a suis, idque ad incertum tempus, ille reputet, quicumque intelligit, quantopere Patria quemque delectet. Quamquam corpore quidem abest a Patria, animo præsens est: atque utinam animo quoque posset abesse, quæ minorem caperet propterea dolorem. Sentio me eo Oratione delapsum, ubi nec animus mihi, nec vires, nec verba satis apta suppetunt ad exprimendos intimos animi sensus, quibus alte conflictabatur, cum Infantium cædem Filii sui interimendi causa factam ex Ægypto mentis oculis prospiceret. O Rachel plorans filios tuos, non una ploras: non in Rama solum audita vox est, ploratus, & ululatus. Mariam luctus sociam habes. Ex Ægypto quoque vox erumpit, mœstæ lamentationes proveniunt, ululatus personant. quid enim potius? Cum ipsa licet absens videret Infantes alios obtruncato capite in terram cadentes, alios ipsa incunabula sanguine iuficientes, alios inter Parentum manus crudelissime enecatos; cum domos cerneret cruore exundantes, stratas cadaveribus vias, ubique gladios, ubique cædes; cum Matrum tantam diritatem, tamque inauditam in parvulos immanitatem intuentium querelas, vociferationes, ejulatus audiret, non poterat quin exclamaret: quis *dabit capiti meo*

 aquam,

aquam, & oculis meis fontem lacrymarum, & plorabo die ac nocte interfectos filiæ populi mei? Miseros Filios! miseras Matres! crudelem Herodem! cujus causa Maria cum Filio fugit, quem etsi carnificum ferro subtrahit, tamen quot gladiis innocentes Infantes, propterea quod illa peperit, transfodiuntur, totidem ipsa transverberatur. Heu miseram, heu dolentem exulem! o dirum & inhumanum Herodem tantorum dolorum fontem! Tot vero, ac tam fera exilii adjuncta quis unquam alias auditione accepit? quis nisi humanitatem penitus exuerit, audiat sine lacrymis? quis Herodem diris omnibus non devoveat? Video vos certe cum in Virginem pietate, tum in Herodem indignatione valde commotos. Miseremur, miseremur fugientem Matrem, fugantem Herodem execremur. At si in nobis, quod sperare juvat Christus habitat, nisi alteri renovare dolorem, alterum imitari velimus, ne ullo unquam tempore a nobis oro obtestorque, ne a nobis ullo unquam tempore dolentis Matris Filium exulare per peccata cogamus.

Remansit Puer Jesus in Jerusalem.

Triste dicite Virgines
Carmen, voceque tinnula
Casum collacrymamini,
Et vestro trahat intimo
Dolor pectore questus.
Æterni illa Dei Nurus,
Illa Filia, Sponsaque
Suum perdidit unicum,
Quem magni peperit Dei
Solo Numine natum.
Huic vos eja agite o bonæ
Obvias date Virgini,

Cor

Corculoque medullitus
Jacenti in gemitu, & gravi
Luctu, ferte levamen.
Qualis Cerva, volatile
Cui præcordia spiculum
Hæret altius, anxia
Si excussisse tenax queat
Ferrum, currit in agros
Euroque, & Zephyro ocyor:
Non illam amplius invia
Montium, obsita vallibus
Non illam amplius unda, non
Illam saxa morantur;
Talis impatiens ruens
Virgo per medias vias,
Quærit, cursitat, it, redit,
Clamat percita pectore,
Vi gliscente doloris.
Circum volvit & huc, & huc
Madescentia lumina,
Implensque omnia questubus
Amissum super ingemit,
Cara pignora, Natum.
Per! si qua est pietas mei,
O vos, si quis amor tenet
Dolentis, miseræ anxiæ
Matris, dicite Virgines,
Qua sit parte puellus.
Ille delicium meum
Sanguis, corculum, ocellulus,
Ille totus amabilis,
Quem mi sustulit invida
Boni dextra, puellus.
O Puelle, venustule,
Dulcis, blandule, amabilis,
Non tua amplius osculer

Suaveolentia, dulcia
Mero melle labella?
Ite o; noſcitis & labra,
Illa labra corallina,
Aureoſque capillulos,
Et duo illa micantia
Dio ſidera vultu.
Quæ ſint noſcitis & manus,
Illæ candidæ, eburneæ,
Et leves nitidæ manus:
Genæ & lacteolæ, quibus
Mixta purpura ludit.
Ite o, quærite Virgines
Unicum mihi gaudium,
Tuque o redde mihi, indica
Blando murmure blandula,
Spirans dulciter Aura.
Fallor? ſiſtite Virgines,
Dulcem ipſa audio voculam,
En mihi ipſe venit Puer:
Veni dulcia ad oſcula,
Veni, Nate, Parentis.
Vana ah! fallor imagine
Mater triſtis, amans, dolens.
Nate o! hinc procul exulas:
Inviſus mihi Te ſine,
Nate, ſpiritus auræ.
Ite o, illico Virgines,
Natum quærite, ducite,
Et mei miſereſcite,
Quæ transfixa dolore, non
Ultra langueo Mater.

Ecce ascendimus Jerosolymam, & consummabuntur omnia, quæ dicta sunt per Prophetas de Filio hominis.

Unicus ecce tuus, cuncta in quem flumina amoris,
In quem omnes versas Mater amore faces,
Filius ecce tuus, totus tuus, ille decorus,
Præ natis hominum pulchrior, & Superis,
Cujus quantum ætas, tantum sapientia crevit,
Ante oculos hominum, crevit & ante Dei;
Qui, ut tu illum, te sic is amat magis omnibus unam,
Nunc abit; heu! a te nunc abit ille procul.
Æterni facturus abit nunc jussa Parentis.
Omnia nunc Vatum carmina facta manent.
Natus abit, tradendus abit modo Gentibus; illum
Probra manent, spinæ, sputa, flagella, Cruces.
Heu Matri verbis exaspero vulnera! verbis
Vulnera non possum facta referre meis.

Cum ducerent eum, sequebatur illum multa turba populi, & mulierum.

Infelix Mater nimium ah! miserandaque Mater!
Maternis oculis quæ fera scena patet!
Quæ tristis species, visuque indigna, cruentum
Nocturnis Natum cernere vulneribus?
Truditur imposita infami trabe, robore iniquo
Cogitur & mortis scandere triste jugum.
Undique militibus fusis, clamoribus actus
Turba, membra ægre languidus ille trahit.
Hæc videt, hæc audit Mater, mœstissima Mater.
Maternis oculis hæc fera scena patet.
Fœdatos spectat crines, squallentia spectat
Ora, cruentatum spectat utrumque latus.
Spectat; & ingentes immenso æqualis amori
Udo singultus exprimit ore dolor.

Ceu quondam deflet teneros acredula fœtus,
Quos nido implumes agricola eripuit;
Illa latens cæca rapientem ut conspicit umbra,
Extemplo densis exilit arboribus;
Ac modo pervolitans circum, modo proxima ramo
Subsidens viridi tristia persequitur
Flebilibus sua fata notis; at durus Arator
Ardentes surda negligit aure preces;
Sic tanto abreptum pœnarum turbine Natum
Cominus aspiciens assiduo Genitrix
Irrorat malas, irrorat pectora fletu,
Pene ipsam effundens ore ab anhelo animam.
Ille via dudum fessus, longaque dolorum
Enectus serie, dum reliquum properat
Pergere iter, fœdi linquens vestigia lapsus,
Procidit in mediam sanguinolentus humum.
Procidit: ast illum nodosis impia truncis
Agmina protrudunt, ac validos humeris
Congeminant ictus, queis vulnera latius hiscunt,
Cogitur & patiens tollere corpus humo.
Hic Natus Matrem, Mater dulcissima Natum
Conspicit. heu! vultus illico verte Parens.
Præstat ab adspectu Nati hoc te longius ire.
Spectat uterque; heu! quam sauciat alterius
Cor oculis alter! tristique alimenta dolori
Mutua suppeditat mutuus ipse dolor.
Ac velut ardenti calfactum lumine vitrum
Calfacit elisis oppositum radiis,
Ast hoc transmissum reflectens mox jubar, ipsum
Verberat, alternis percutiens vicibus,
Haud aliter radii spectantis ab ore Parentis
Ad Christi humentes adveniunt oculos.
Hinc mox afflictam totidem simulacra feruntur
Ad Matrem, ac tristes eliciunt lacrymas.
Heu lacrymæ! heu pietas! heu Nate! heu Mater! amoris
Ecquod vos subito vis rapit in barathrum?

Tem-

Tempestas animam vehemens demersit, & alto
Infixam limo grande premit pelagus.
His curarum undis, atque hoc distracta doloris
Æstu, explere gravem fundo animam aggreditur,
At frustra aggreditur. Quæ totos fusa per artus
Vitali se se circumagit spatio
Copia spirituum, tutandum protinus ad cor
Præcipiti se nixu undique proripuit,
Obsessumque tenet, circum vocemque aboriri
Cogit, & abruptos inde ciet gemitus.
Sic sævis pectus stimulis transfixa doloris
Semianimis Natum semianimem sequitur.
Femineo circum colles reboant ululatu:
Turba at in insontem sanguinolenta ruit.
Nec breve sævitiæ spatium datur; impete magno
Urgetur, lentos dum movet ille gradus.
Infandum o scelus! & quantum non ultima Thetis,
Non arctoum ingens ablueret pelagus.
Quæ tibi sub solo mammas Lea præbuit antro,
Aut tumidis æquor fluctibus evomuit,
Talia quæ reddis pro tot Stirps effera factis,
Tamque acri insontem supplicio perimis?
At mihi sub solo mammas Lea præbuit antro,
Aut tumidis æquor fluctibus evomuit
Talia narranti, cui non vox faucibus hæret.
Hæreat: & lacrymis Virginis addo meas.

Stabat juxta Crucem Jesu Maria Mater ejus.
Posuerunt me in lacu inferiori, &c.

DIALOGUS
Inter Joannem, & Josephum ab Arimathæa.

Jo. *Quo ferar? aut quæ me excipiant secreta vagantem*
Antra? quibus justi causam narrabo doloris?
Hinc fugere, hinc libet, & desertas quærere terras;
Hac tædet vitam scelerata vivere terra.

Luge

Luge igitur miser, & crudeli excedito ab urbe.
O mihi dulcis Amor, scelerato funere adempte,
Eheu! dulcis Amor, blandæ suavissima quondam
Lætitiæ, æterni posthac mihi causa doloris.
Luge igitur miser, & crudeli excedito ab urbe.

Jos. *Heu facinus, dira & memorandæ mortis imago!*
O una infelix, matrumque miserrima Mater!
Post Nati funus miseræ quid denique restat?
Heu facinus, dira & memorandæ mortis imago!

Jo. *Linque mihi questus, & lamentabile carmen:*
Hisce ego namque oculis hæc ipsa miserrima vidi,
Atque horum pars magna fui, cum funera Nati
Ipse egomet vidi, vidique in funere Matrem.

J. *Ast ego confossum telis miserabile corpus*
(Triste ministerium) detraxi ex arbore nuper,
Sindoneque involvens mediis procul abstuli ab armis:
Dein hoc ipsa sinu Mater complexa tenebat,
O una infelix, matrumque miserrima Mater!

Jo. *Ne mihi plura satis misero, neve adde dolores.*
Sat tristes casus, tormenta sat effera vidi.
Deseruere omnes trepide diversa sequentes;
Unus ego, & Mater comites sumus usque secuti,
Vidimus & Nati coram lacrymabile funus.

J. *Debuit ergo oculis haurire hæc tristia Mater?*
Scilicet hæc etiam tantorum summa malorum
Defuerat miseræ, Nati ut crudele videret
Lethum, & Maternos fœdaret funere vultus?
Cur nemo amovit, matremque moratus euntem
Infanda miseram subtraxit imagine mortis?

Jo. *Immemor illa sui, summi immemor illa pericli,*
Evolat infelix, turbæ se perdita miscet,
Fida comes Nato: per tela ivisset, & ignes:
Exanimis miseranda Crucem dein adstitit ante,
Ut Nati, utque suos geminaret concita luctus.

J. *At dolor illius quæ verba expressit ab imo*
Pectore, cum sævos inter gemina arbore strictos

La-

Latrones, legum quos justa coercuit ira,
Indigno infelix pendentem e robore Natum
Suspexit, Natum, quem jam mirata sepultos
Conspexit vitæ revocantem ad munia manes,
Sedantemque maris fluctus, siccumque per undas
Progressum, & tenui satiantem pane catervas,
Auditum surdis, reddentem lumina cæcis?
Jo. *Vidit, ne quæras fuerint quæ verba doloris.*
Criminis ille expers, forma spectabilis unus,
Qui modo finitimas signis impleverat Urbes,
Seque Deum haud dubiis, si mens non cæca fuisset,
Undique prodigiis portenderat, ille scelestos,
Ille inter fures moriens extrema gemebat:
Hunc vidit Mater suprema in morte teneri;
Vidit, ne quæras fuerint quæ verba doloris.
Alter in alterius jactabat lumina vultum:
Filius in Matrem languentia, Mater in illum
Lumina defigit; visu dolor angit utrumque
Sævior, & gravius crescit sub pectore vulnus.
J. *Credo equidem Nato fuerit pars summa doloris*
Despicere adstantem tanto in discrimine Matrem,
Cui genus infandum mortis, cui tristia fata
Celari optasset, miseramque abscondere cladem.
Certe olim Joseph, qui Christi fertur imago,
Invidia fratrum, atque odio periturus acerbo,
Ah! precor, ah! dixit, lateant hæc funera Patrem.
Cura fuit Patris ne acciderent hæc tristia ad aures.
Quis dolor? hic Mater spectaclo interfuit atro.
Jo. *Vidit amans, & amata nimis crudelia Mater.*
Toto sanguinei manabant corpore rivi,
Tergere nec poterat manantes corpore rivos:
Horrebant niveis feralia vulnera membris,
Nec poterat niveis abstergere vulnera membris.
In fessos cervix humeros collapsa cadebat,
Nec poterat cervicem olli fulcire cadentem.
J. *Ecquis tum Matri cernenti talia sensus?*

Jo.

Jo. *In ſpeculo veluti quæ reddita fertur imago*
Exprimit exemplar, & partes exhibet omnes,
Sic ſpectans Mater crudelia vulnera Nati,
Hæc eadem paſſa eſt, totidemque in pectore ſenſit.
J. *Ergo queis Natum populus mactaverat aris,*
His dolor infando mactavit vulnere Matrem.
At non hæc Patrum fuerant decreta priorum.
Si tener avulſus patriis ab ovilibus agnus
Aras imbueret, non aras imbuit ipſas
Agna parens; ſed enim inverſo nunc ordine rerum,
Filius, atque una Mater mactatur ad aras.
Jo. *Credo equidem medio volviſſet turbine eamdem*
Pœna eadem, ſummo niſi quod ſervata Parente eſt.
Tum vero ingemuit magno externata dolore,
Cum ſpectans populus morienti illudere cœpit,
Atque caput riſu quaſſans convicia fudit
Semianimem in miſerum, vomuitque nefaria verba.
J. *Nec genus indignum Tellus abſumpſit hiatu?*
Nec Pater irato demiſit fulmina cælo?
Jo. *Sic erat in fatis; dura atque aſperrima quæque*
Debuit ipſe pati, fuit irreparabile lethum.
Ad Cælum tendens ardentia lumina fruſtra,
Oravit pacem Genitrix Nato; ſed reſpuit iſthæc
Vota Pater, ſola & miſerata eſt funus acerbum,
Fatalem potuit ſed non avertere cladem.
J. *Infelix nimium, in nimium ſervata dolorem!*
Jo. *Quid referam quali fuerit tunc ſaucia cura,*
Cum Natum audivit dona hæc extrema petentem,
Clamantem, Sitio: *gelidis reſtinguere lymphis*
Illa ſitim voluit, ſed non reſtinguere lymphis
Poſſe datum. Agarris flagranti languidus æſtu
Filius arenti jacet Iſmaellus arena,
Et fruſtra Mater depoſcit fluminis hauſtus.
Sume animos Agar, jam dulcis rupibus altis
Fons micat, optatas en elicit Angelus undas;
At Virgo infelix triſti perfuſa veneno

Præ-

Præberi vidit sitienti pocula Nato.
J. *Gentis Idumeæ nimium scelerata propago!*
Hæccine pro meritis reddis fera munera? quondam
Ille tuos inculta inter deserta Parentes
Eductis de caute undis (mirabile visu!)
Potavit, tu sicca acri præcordia felle
Sæva rigas, morientis & ora adspergis aceto?
Jo. *Quale fuit miseræ inflictum sub pectore vulnus!*
Cum jam casurus supremo victima Patri,
O Mulier, *dixit, nam hæc verba novissima dixit,*
Filius ecce tuus; *dixitque mihi*, en tua Mater.
Ut se materno privari nomine sensit,
Tum visu exanguis mansit, tum pectus honestum
Percussit, voluitque mori, ac se affigere trunco.
J. *Tam magnæ natus tu ne ergo ferere Parentis?*
Non equidem omnino deserta videbere Mater.
Jo. *Contigit heu miseræ quam dispar pignus amoris?*
J. *Ah quæso solare tuam, solare, Parentem.*
Jo. *Illa animo infixum gerit immedicabile vulnus.*
J. *Addi vulneribus sed nondum vulnera cessant.*
Ut lacerum eripui corpus, flens anxia Mater
Accurrit, saxoque sedens complexa cruentum est,
Lustravitque pedes, fixas & cuspide palmas,
Frigida dein mansit, gelidoque simillima saxo.
Jo. *O Mater, non jam Mater, sed flentis & orbæ*
Infelix simulacrum! at quid mœstissima dixit?
J. *Multa quidem miscens singultibus omnia, dixit:*
Hunc ego Te aspicio? quantum mutatus ab illo,
Qui mihi Te obtuleras prima florente juventa!
Ni Te sanctam animam fatali linquere trunco
Vidissem notos vix possem noscere vultus.
Non etenim fax illa oculis tranquilla renidet,
Nec tuus ille decor, roseo nec candor in ore.
Hine tui crines, fuerant qui vincula amoris?
Effuso manant fœdati sanguine crines:
Hæne manus, albis fuerant quæ plenæ hyacinthis,
Hine

Hinc pedes nivei, toties quibus oscula fixi?
Heu duri plantas clavi fodere, manusque!
Non hæc facta hominum rabie, sed facta ferarum
Vulnera, nil sani est, unum sunt omnia vulnus.
Heu Nate! heu facies! heu lumina cara, manusque!
Confossa heu telis misere, laniataque membra!
Ite, & sacrata tumuli requiescite in umbra:
Una ego sacrata tumuli sed condar in umbra:
Corpore si vetitum est, animo simul esse juvabit.
Jo. *Virginis heu crudo transfixum vulnere pectus!*
J. *Tu, si qua est pietas oro, succurre Parenti;*
Nec blandis pigeat curas avertere dictis.
Jo. *Ipse meis lacrymis casu perculsus acerbo*
Solamen cuperem; nimis alte est vulnus adactum,
Ut Nati funus vidi, Matremque dolentem.
Cernat sed tumuli decoratum corpus honore;
Luctibus in tantis fuerint solatia Matris.
J. *Exigua ingentis sunt hæc solatia luctus;*
Cura hæc venturos hærebit fixa per annos.
Jo. *Nostra pii quoties volvent monimenta nepotes,*
Tantorum relegent una monimenta dolorum.
J. *Ipse etiam tumulo inscribam miserabile carmen;*
Idem fecit amor Nato, Matrique dolores.

Dialogus alter in idem argumentum, sub iisdem nominibus a duobus aliis Discipulis Academicis alio anno confectus, & habitus.

Jo. *Huccine perveni vivus rerum? hæccine nostris*
Luminibus tandem spectanda horrenda malorum
Congeries, scelerumque fuit? tantum ne furori,
Barbariæque datum? quænam tam barbara corda?
Quæ tantæ in superos animis mortalibus iræ?
Jos. *Hunc ego Te aspicio rerum pulcherrime Jesu?*
Cui de Te tantum licuit? quæ dextera tantum
Patravit facinus? quæ tanta insania mentis?

Non

Non vestri generis non vestri nominis hostem,
O miseri Isacidæ, at vestras spes proditis, atque
In vos, & vestros sæviistis cæde nepotes.

Jo. *Nam quæ me mundi, quæ nunc capit ultima tellus,*
Trito ubi nulla hominum pateant vestigia gressu?
Quæ miserum antra tegunt Phœbææ impervia luci,
Languida uti longæ per amica silentia noctis
Eliciant amplum lacrymarum lumina fontem?
Quid tantum cesso scelerata excedere terra,
Quam (horrendum facinus!) divino sanguine nuper
Sacrilegæ sparsere manus? nec inhospita quæro
Litora, ubi rabidis mecum lacrymantibus ursis,
Tam miseranda querens lacrymarum solvar in imbrem?

J. *Nec quidquam vobis tam duras molliit iras*
Pulchrior humano veniens in corpore forma?
Non mortale sonans vox, & cælestis imago?
Quin ante adspectum ipsius Genitricis & ora
Maternos Nati fœdastis funere vultus?

Jo. *Quid Matrem memoras? nimium mihi cruda retractas*
Vulnera, tanta meo ne instaura alimenta dolori.
Mater, non ultra Mater, mecum ardua montis
Culmina conscendit, mentemque animumque virilem
Gestans, cum fugeret sociorum exterrita turba,
Carpsit iter, medios Natum comitata per hostes;
Nec dolor, aut pietas materni cordis euntem
Tardavit, tantum quid enim tardaret amorem?
Mecum eadem stetit ante Crucem, mecum omnia vidit
Tormenta, atque animum præsens per singula vertit.
Quanta heu, quotque dedit miserandi signa doloris!
Funestas rupes, funesta & culmina testor,
Quæ motu insolito indignos miserata dolores
Contremuere, imæ sonitumque dedere cavernæ.

J. *At mecum complexa sui miserabile Nati*
Extinctum corpus, lacerosque immaniter artus
Inspiciens propius, tremebunda lumina dextra
Condidit, & lacrymis frigentis vulnera lavit,

Et

Et numerum mœrens iterumque, iterumque recensens
Plagarum, gelidis crebro dans oscula labris,
Quanta heu, quotque dedit miserandi signa doloris!
Vos duri, testor, lapides flevistis iidem,
Marmoraque insolito inter vos confracta tumultu.
Jo. *Vidit divinas lacerari cuspide plantas,*
Atque manus vidit, resonantes audiit ictus;
Haud aliter, quam cum positis incudibus enses
Impiger incurvat faber, infringi audiit ossa:
Membraque tum vidit misere laniata flagellis
Nodoso imponi Crucis atque incumbere trunco:
Heu durum fulcri genus! & sitientia vidit
Felle, & porrecto torqueri labra veneno.
Quin eadem (infandum!) quis enim tam barbarus hostis
Sævit in extinctos? ipsa & post funera vidit
Transadigi, & lateri infligi nova vulnera aperto.
J. *Ast cum defunctum trepidis complexa lacertis*
Illacrymans pressit materna ad pectora Natum,
Non solum vidit crudeli vulnere plantas,
Atque manus laceras, membra & laniata flagellis,
Ast vidit, tetigitque simul, digitosque trementes
Vulneribus, laterique manus immisit aperto.
Jo. *Cumque sacro talis manaret corpore sanguis,*
Qualis, ubi, ut dudum sitientes Rusticus herbas
Irriget, & cœli vitium compenset avari,
Lenta supercilio clivosi tramitis unda
Volvitur, exesisque cadens illisa lapillis
Murmurat, & scatebris arentes temperat hortos;
Illa ulnis utrisque Crucem complexa cruentam,
Sanguine rorabat, madidaque in veste fluebat;
Quo magis & Nati versabant membra cruoris,
Hoc magis & Matri pondus crescebat amictus.
J. *At neque tunc Nati tanto respersa cruore est,*
Ut nuper rubei lacrymarum flumine ocelli
Rorantes, tunicasque omnes, ut ab imbre, gravabant.
Non secus æquoreas ac si quis naufragus undas
Effu-

Effugiat, madidisque fluens in vestibus altum
Occupat adscensu scopulum, retroque frementis
Oceani rabiem pavidus respectat, & iras.

Jo. *Tum quoque flevisset; miseris est flere voluptas*
Unica, sed vetuit Nati constantia Matrem
Flere, & tam miseros lacrymis saturare dolores.
Ecce autem in Matrem convertunt lumina Turbæ,
Intentisque notant digitis; caput undique circum
Crudeli quassant risu, probrisque lacessunt.
Ecquis erit miseræ mitis? sed acerbior illi
Pectus cura domat; probris nec plura movetur,
Quam pelagi rupes, rabidos quæ interrita ventos
Mole sua, & circum latrantes sustinet undas,
Cautibus illisæ scindunt se in fragmina conchæ,
Hinc atque hinc lateri glomerata refunditur alga.

J. *Pro! Tu morte tua conjux sanctissime Joseph,*
Felix morte tua, neque in hunc servate dolorem!

Jo. *Unius in Christi se se converterat ora,*
Atque oculos, tantum Christo in moriente moratur.
Ille unam in Matrem defigit lumina, Matris
Hæret in obtutu mœrens, matrisque dolore
Tantum tristatur moriens, ceu cætera nusquam
Tum tormenta ferat, placidoque sopore quiescat.
Ut speculo oppositum speculum, si quando reflexos
Reflectat radios iterum, atque retorqueat ignes,
Alterum inardescit luce alterius, geminatque
Ardorem alternum, radiorum & duplicat ictus;
Alter ita alterius curas exasperat, atque
Unius alterius crudescunt vulnera luctu.

J. *Ut solet in speculo cerni spectantis imago*
Ore, incessu, oculis, habituque simillima vero,
Nec facile a vera fictam internoscere possis;
Haud secus extincti Nati moribunda colores,
Et speciem induerat Genitrix, & lumina, & ora,
Atque docent solæ lacrymæ superesse Parentem.

Jo. *Auribus ipsa suis tandem suprema recepit*

 Man-

Mandata infelix Mater, quum voce tremente,
,, *O Mulier, dixit, nam hæc verba novissima dixit,*
,, *Filius ecce tuus, dixitque mihi, en tua Mater.*
Hoc vale extremum Nati morientis ab ore
Audiit, atque oculos sensim (quis talia fando
Isacidum, duri aut similis perjurus Iudæ,
Temperet a lacrymis?) oculos, sua sidera, vidit
Sensim deficere, atque instanti in morte natantes
Extingui tandem, cum jam clamore supremo,
In dextrum inclinans humerum caput, expiravit.
J. *Extremos dedit amplexus, extremaque mœrens*
Oscula, & extremis surdas clamoribus aures
Perculit, & tumulo tandem defleta reponens
Corpora, marmoreo considit frigida saxo,
Multaque, sola potest quæ Mater dicere, questa est.
Jo. *Ter conata loqui est Nato moriente, ter ora*
Frustrantur, faucesque dolor præcludit hiantes,
Conceptæque iterum recidere in pectora voces.
At si sacrato deponens marmore corpus
Questa est, fare age, quid tandem mœstissima dixit?
J. *Te hunc ego conspicio, hunc Te formosissime rerum?*
Hiccine priscus honor, color heu! tuus ille, decorque?
Vosne coruscanti stellarum implexa corona
Nunc heu vulnificis circumdata tempora spinis?
Lumina ne hæc, hominum quæ corda oblita malorum,
Turbatosque animos tranquilla pace juvabant,
Cæca in nocte latent? anne hæc, quæ vincula amoris
Cæsaries fuerat, nunc heu! fœdata cruore est?
Hæ ne manus, atque hi ne pedes, quibus oscula fixi?
Quis furor atroces egit violentus in iras?
Anne superstes ego dilecti ut funera Nati
Cernerem, & usque novo crescat mihi vulnere vulnus?
Jo. *Quæcumque excipiat regio me & inhospita tellus,*
Et Nati, & Matris tristes narrabo dolores.
J. *Quo me cumque feret fatorum incognitus ordo,*
Nate tuos, Materque tuos narrabo dolores.

Jo.

Jo. *O mihi amara dies, quam posthac semper acerbam?*
Semper honoratam, quantum aere vescar, habebo.
J. *Te posthac, Te, sancta dies, dum vita manebit,*
Prosequar & luctu, & digno venerabor honore.
Jo. *O Nate!* (J.) *o Mater!* (Jo.) *vos postera noverit ætas.*
J. *Ac vestri flebit memoranda exempla doloris.*
Jo. *O quibus insontis tam largo sanguinis haustu*
Parta salus, Homines, sceleratis parcite factis,
Parcite lethali rursus suffigere trunco
Dilectum Matris dilectæ pignus amoris.
J. *Sævitia hac rabidas Tortorum vinceret iras.*
Jo. *Ah Nato* (J.) *ah Matri* (Jo. & J.) *neutri renovate dolores.*

Conclusio.

Amantissimæ Matris pro amantissimo Filio susceptas, & a nobis pro ingenii nostri tenuitate commemoratas audistis angustias, quas nec vos audire, nec nos recensere potuissemus, nisi vos pietas, vestra nos in dicendo humanitas confirmasset. Expectatis nunc, opinor, ut, quas par est, gratias vobis animis linguisque adhuc faventibus agamus. Verum hujus luctuosissimi quo de egimus argumenti tractatione tantopere animo affecti sumus, tanta miseratione perturbati, ut ne nostrum quidem satis compotes simus, nedum explendo de officio solliciti. Quare quid ego officiosa verba persequar, in tanta animorum conturbatione? quos dolentis Virginis contemplatio totos sibi vindicavit, & vindicat, atque utinam in posterum perpetuo vindicet. Ergo *fac me Tecum*, ita ego, ita mecum unusquisque vestrum, omisso inter nos officio, conversoque ad Sanctam Matrem studio, *fac me Tecum pie flere, Crucifixo condolere donec ego vixero.*

Utroque anno non satis certo.

IN LAUDEM
D. PHILIPPI NERII.
ORATIO.

VEstras animi admirationes, cogitationesque hisce diebus, Auditores, quibus omnia Divini Amoris vocibus circumsonant, & Sancti Spiritus descensu totus Christianus orbis exultat, omnes ac totas ad Jerusalem conversas, inque Apostolis sic alte defixas esse vestra mihi pietas persuadet, ut vix quidquam aliud vobis adhuc occurrisse, nihil autem vos inde abstraxisse facile judicem. Pietatem laudo, idque præsertim hoc tempore æquissimum esse censeo, ut, quoniam beneficiorum, quæ ex divina hac charitate fluxerunt, participes sumus, eo spectemus animo, quo primum illa descendit, & erga eos veneratione afficiamur, per quos divinus ignis, quem *venerat Christus in terram mittere*, hujus alterius ignis ope primum accensus est, & inde per totum terrarum orbem longe lateque diffusus, ac disseminatus. Verumtamen a pia ista grataque meditatione tantisper revocare vos & ad novam Jerusalem, Romam, inquam, deducere mihi in præsens liceat. Quid ni autem liceat, si ea quæ vobis contemplanda proponam paullo ab illis videantur diversa, aut fortasse omnino similia? Adspicitis ibi homines ea una voluptate abreptos, quam ex divino Amore abunde percipiunt; hic Hominem adspicietis cum voluptatum illecebris strenue pugnantem, eodem amore æque vehementer oblectatum. Videtis illic eos, *qui relictis omnibus secuti sunt Jesum*; hic eum videbitis, qui ingentes oblatas divitias contempsit, respuit, amandavit, Dei amorem lucrum omnium maximum ra-

ratus, atque adeo unum. Despecti, neglecti, abjectique propter Deum injurias atque contumelias devorarunt ii, quos hactenus spectastis; magnanimus honorum contemtor, hostisque infensissimus iste est, quem modo spectabitis. Utrobique in Deum amor adscendens, utrobique divinus in homines ignis descendens, utrobique prodigia, utrobique deliciæ hominis ex Deo, deliciæ Dei ex homine in sui admirationem nostros animos pertrahunt. Quis tandem iste sit, quem nunc vobis adspiciendum, atque adeo suspiciendum obiiciam, omnium laudes admirationesque, quantæ possunt esse maximæ, sibi jure optimo vindicantem, jam satis, opinor, ex levi hac quasi adumbratione, vel me tacente, intelligitis. Nimirum ille est, quo Patrono lætamur, quo Duce confidimus, & (si reverentiam atque amorem consideres, ad nostri quoque vere Parentis, Ven. Gregorii Barbadici voluntatem) quo Parente gloriamur, Philippus Nerius, cujus laudes hodierna die breviter, & pro viribus celebraturus nihil aut huic tempori aptius, aut vobis audientibus accommodatius esse video, quam ostendere, quantopere Philippus Deum, quantopere Deus Philippum amaverit. Et quidem hic mutuus amor illud est quod in Philippo inter cætera est omnium admiratione dignissimum, quo maxime Philippus est nobilitatus, quod omnium maxime Philippo est proprium, ut diligens, & dilecta ejus anima merito illud Sacræ Sponsæ usurpare potuerit: *Dilectus meus mihi, & ego illi*.

Tot ac tanta sunt quibus homines ad Deum diligendum impelluntur momenta, ut monstro simile videatur posse quempiam existere, qui toto impetu, totaque animi contentione in Deum non feratur. Interim tamen mortalibus hanc vitam viventibus tam magna obiiciuntur impedimenta, tam multi-

plices interveniunt curæ, tam variæ occupationes incidunt, ut inter portenta referri possit, quempiam nulla inde ratione disjungi, minima ex parte separari, & ita amare Deum, ut non solum nunquam intermittat, sed ne tantillum quidem remittat. Illa sane, quippe & numero infinita, & nulli non nota, ne abutar tempore, supersedebo recensere. Hæc vero numero fortasse non inferiora prioribus, ne evagemur longius, a Joanne omnia ad tria capita referente petamus. *Omne quod est in mundo*, inquit, *concupiscentia carnis est*, *concupiscentia oculorum*, *superbia vitæ*. Hi sunt malorum omnium, quotquot in humanum genus serpunt, & excurrunt sordidi pestiferique fontes: hi sunt tres illi Amores, qui a divino ut abstrahant, hominum voluntates sine ulla intermissione oppugnant, & (quod maximo cum mœrore dico) sæpissime, ne dicam semper, expugnant. Oppugnarunt illi Philippum quoque, nunquam expugnarunt. Siquidem ea fuit amoris vis, ea magnitudo charitatis, ut vere ex toto corde, ex tota anima, ex totis viribus, toto vitæ decursu Deum unum amaverit, dilexerit, deperierit, & alii cujusvis generis amori, qui ex Deo non esset, omnem prorsus aditum intercluserit. Tentet iter, per me licet, negata via is amor hostis, ut semper nobiscum est, ita omnium teterrimus, tentet num illum possit a Dei charitate vel latum unguem divellere. Dii male perdant petulantes homines, qui in castissimum adolescentem impetum faciunt: At petulantiam exsecror, vim non reformido; satis ille est alio amore munitus, satis tuto circumvallatus: jam vicit, adeoque cumulate vicit, ut in sua castra hostes pertraxerit, & ad longe meliora merenda stipendia deduxerit. Quid diu, noctu, clam, aperte Phrynes impudentissimæ Philippum adoriantur, & ita se ante eum per fraudem sistant, ut vel referre pudore de-

deterrear? Magna sunt hæc hominibus quamvis sanctissimis pericula, & iis etiam istiusmodi pugnarum dubius mars est, & anceps exitus. Sanctissimi sint illi licet, homines tamen sunt, humanæ infirmitatis haudquaquam immunes, ideoque vel ex iis nonnulli (dolet, Auditores, dicere, sed tamen dicam) ejusmodi certamina superare non valuerunt, & quicumque superarunt, ut superarent exquisitis corpus suum cruciatibus confecerunt. Non, ut aliis, est opus Philippo spinis, quibus volutetur, non torrentibus, in quos immergatur, non flammis, quibus circumsepiatur. Quamquam flammis, utique flammis ille defenditur, non iis quas homines, sed quas Divinus Amor excitat, non iis quæ corpus, sed quæ spiritum dulcissimo dolore torquent, & urunt, ut ad has, quæ extrinsecus obiiciuntur, illecebras, quæque corpori adhiberi possunt blandimenta, nihilo magis quam marmorea statua, si ipsi confitenti credimus, deliniatur: & statuam quidem oportuit eum esse, qui nihil ab ea Satanæ ministra Phryne commoveretur; eam tamen statuam, ut Seneca vere diceret, quam Virtus, ut ego fortasse ad rem aptius, quam Virgineus in Deum amor, *posuit*. At hujusmodi pugna ipsa sua turpitudine castissimum Dei amatorem deterruit, deterritum removit, remotum avertit, ut proinde in ea victorem extitisse magnopere admirandum non sit. Quid si ei se se offerat honestiore facie, modestiore habitu, incessu decentiore divitiarum cupiditas, non illa quidem sordida & avara, quæ *nummos contemplatur in arca*, non illa iniqua aut dolosa, aut violenta, cum aliorum detrimento conjuncta, sed quæ sine vitio, sine vi, sine injuria honestos quoque homines minime dedecet. Agite ergo Philippi Parentes, filiolum ad Patruum mittite, qui cum hærede careat, minime dubitandum est, quin humanissimis, & integerrimis Adolescentis moribus captus hæredem

ex asse scribat. *O cæcas hominum mentes, o pectora cæca!* Ad proximum Cajetæ collem invito vos, quo ille sæpissime divertit, ubi commoratur diutissime, ut in illa sacra cellula ad ejus collis radices posita Christi e Cruce pendentis imaginem intueatur. O intuitum omnem divitiarum curam expellentem! Videt ibi Christum Jesum, qui ut harum rerum pauperrimus vixerat, ita spoliatus omnibus Cruci affixus est. Ego ne, inquit, tam pauperis Domini sim famulus dives? Magistri paupertatem docentis ego discipulus omnium bonorum copia circumfluam? Ille, cujus sunt omnia, nihil retinuerit, ego quem carentem omnibus, ut omnes homines, natura constituit, oblata ab aliis accipiam? Fugiam ergo hinc, si nulla alia ratione licet opes fugere, ut Christum sequar pauper pauperem. Ubi, amabo vos, ille beatus est, qui post aurum non abiit? en qui etiam post se ipsum veniens aurum fugit. Fugit ille: ne tamen putetis, quia a Parentibus, & consanguineis remotus est, finem impositum esse divitiarum luctæ, quippe repudiatis quam sæpissime ingentibus pecuniis, vel eas negligendo, vel eos, qui offerebant, ut sibi eas haberent exorando, quia aliquando neque precibus, neque doloris sui significatione impetrare potuit, ne viri ditissimi hæres fieret, prodigio se defendit, morientem a Libitinæ, ut ita dicam, faucibus eripuit, & ad pristinam vitæ usuram restituit. Quis tanta molitus est, ut ditesceret, quanta Philippus ut pauper esset? In tanta animi divitias reiicientis magnitudine minus miror honorum quoque contemtum, quo Ecclesiasticas dignitates, & earum quidem sublimes gradus invicta constantia recusavit. Unde hoc omnium terrenarum rerum odium incessit? Non inveniebat in iis, quem ipsius anima diligebat. Noverat amantis illud, *Deus meus, & omnia, Amor meus, & omnia.* Desinant ergo hostes

Ne-

Nerium in posterum aggredi, sinant amore suo quiete tranquilleque perfrui, nec tentent oblata terrestrium præmiorum specie a divinæ multo largioris cogitatione mercedis abducere. Quid enim proficiant, aut quid aliud consequantur, nisi hoc consequantur, ut quoties congredi velint, toties turpiter victi profligatique recedant? Jam enim ex iis, quæ proponunt, quibus capi cæteri consueverunt, id unum, ut audio, Philippo placet, quod nihil placet. Cælestia desiderat, ad cælestia adspirat, cælestibus acquiescit, totus flagrat divino igni, totus fertur in Deum, totus Deo addictus unum amat, unum expetit, unum quærit. Hinc noctu ad sacras ædes properare, hinc suavi excruciatus ardore vix ullam noctis partem somno tribuere, hinc in subterraneis locis vitam agere. Quid ibi egerit, quæ fuerint ejus cum Deo colloquia, quæ dilectionis tam eximiæ signa, quæ amantis voces, vos nostis Angeli, vos SS. Martyres, qui ejus suspiria, gemitus, lacrymas præ amore erumpentes & vidistis, & audistis. Ego certe quantopere intus animo afficeretur, quis ardor in precibus, quæ suavitas in contemplatione, non novi, hoc novi quod video, & ex iis quæ video etiam non visa non obscure coniicio. Video eum ambulantem per vias, neque obvium quemquam salutantem, video eum retecto pectore media hyeme euntem, ut quibus aduritur internos æstus refrigeret, video procumbentem humi, video ardentem corpore, oculis micantem video. Quodnam inusitatum charitatis genus istud est, Deus Immortalis! quæ nova amoris vis, atque potestas! Alii solitudine opus habent, ut colligant se, ab hominum communione recedunt, ut populi frequentia, turbis, tumultibus non impediti otiose Deum contemplentur, Nerius inter homines solus est, nisi quod cum uno Deo est: alii flammas requirunt, ut

ac-

accendantur, hic nives ac gelu, ut eas temperet: ſatis diligunt ii, qui ex toto corde, ex tota anima diligunt, hic non ſolum intus ſed etiam extra, non ſolum corde, ſed etiam corpore ita exardeſcit, ut eum exclamantem audiam; *cor meum, & caro mea exultaverunt in Deum vivum*, ut internus ille ignis cum animo præ magnitudine capi non poſſet, in corpus exundaret. Satis ne magnum, ſatis ne ſingularem, mirificum ſatis Philippi amorem eſſe cenſetis? Jam nunc quidquid agit, amor eſt, quidquid loquitur amor eſt, quidquid cogitat amor eſt. Publica hoſpitia inſtituere, quibus excipiantur peregrini, curentur ægroti, eos ipſos adire, iis inſervire, iis neceſſaria miniſtrare, pupillos alere, puellis in diſcrimen adductis opitulari, viduas ſuſtentare, egenis pueris litterarum ſtudioſis ſuppetias ferre, propria veſte nudos contegere, parciſſimam ſibi appoſitam cœnam laborantibus fame dividere, peccantes ad gratiam revocare, confutare fallacia dogmata diſſeminantes, in errorum tenebris jacentes ad veritatis lucem adducere, errantibus viam commonſtrare, dubios confirmare, ſolari afflictos, ingenio & voluntati uniuſcujuſque ſe accommodare, hæc Philippo ille perſuaſit amor, cujus cauſſa Proteo ſimilis vultum pro re nata mutabat, aut, ut aptius dicam, æmulator Apoſtoli omnibus omnia fieri volebat, ut omnes Chriſto lucrifaceret, ille, inquam, quo ardentiſſime in Deum flagrabat, perſuaſit amor. Ac talis quidem tantuſque erat, ut, quo minus ab aliis Deum diligi deprehendebat, eo ipſe magis inflammaretur, quo aliorum tenuitatem ſuæmet charitatis magnitudine compenſaret; ita Nilum ajunt, arentibus circum undique fluviis abundantiores in pelagus undas devolvere. Qua alia ratione Seraphim, ſi humanam carnem indueret, aut qui magis amaret? Non hominis in terra degentis hic amor eſt, ſed

ejus,

ejus, qui in cælo Seraphim æmuletur: æmulatur autem ille vim charitatis, qua non potest quin ad Deum adscendere toto animo concupiscat. Quis scalam Jacob Philippo præstet, ut eo quo avidissime intendit, facillime ejus ope perveniat? Verum non est opus gradibus ei, qui uno saltu, uno volatu erigitur, & ictu oculi, vehementia dilectionis relinquit sensus, & non e terra sua, ut Abraham, sed e suo corpore quodammodo egreditur. Quod si quo abierit me interroges, respondebit Areopagita Dionysius; (*De D. Nom.*) *abiit vagus in via cordis sui, extra se in Deum raptus est, nec sua jam vivit, sed vita Dilecti*. En quo spectabat ille cum diceret Deum ab eo non amari, qui Pauli amorem non exæquaret. Spectabat ad illud, *vivo jam non ego, vivit autem in me Christus*. En cur vitam sibi pœnam esse profiteretur, & pœnam omnium maximam, atque gravissimam: experiebatur in se, quod Areopagita docuerat; *amantem cum amante conjungi desiderare; quippe amorem esse cujusdam virtutis unificæ*. En quorsum toties repetebat illud, *cupio;* quod amoris expressum vi ab ore excidebat, cum cætera conticescens, ne animadverteret quispiam, in cor remitteret: dissolvi cupiebat, & ab hujus corporis compage expeditus cum Deo esse. Sed vivat, nec invitus vivat; jam enim secum habet, quem tantopere concupiscit. Quemadmodum enim amor in causa erat cur ille ad Deum adscenderet, ita ut Deus ad illum descenderet perficiebat; & quidem quam magna, quam illustria, quam singularia præsentiæ, benevolentiæque divinæ par pari, si ita loqui fas est, referentis argumenta fuere? An ille a corporis voluptatibus divina charitate plenus abhorruit? Ei Deus lumbos præcinxit, ne sentiret in posterum legem in membris suis repugnantem legi mentis suæ, eaque virtute corpus ipsum donavit, ut divinum nescio

quem

quem odorem emitteret ad quoslibet in aliis quoque libidinum tumultus sedandos potentissimum. An divitias recusavit? Illi egenis benefacere, Xenodochia instituere, extruere sacras ædes cupienti, ne petenti quidem, at movente Deo, effuse nummos largiti sunt Viri Principes, atque Cives, & tenuiores etiam, quantum potuere, certatim erogarunt, immo etiam mulierculæ longe prudentius, quam illæ quondam Hebrææ, e digitis avulsos annulos contulerunt. An fugit honores? Apud omnes eum esse in honore Deus voluit, viros nobilissimos permovendo, ut, quæ infimi hominum hominibus excellentioribus solent ministeria, illi Philippo præstarent, &, ut omittam cæteros, eam mentem Summis Pontificibus iniiciendo, ut eo consiliario in rebus gravissimis uterentur, sedentem tecto capite adhiberent, & quæ pueros majoribus natu decet, reverentiæ signa osculantes ejus manum exhiberent. Exclamet si quis vult, *sic* (*Esther.*) *honorabitur quemcumque Rex voluerit honorari*, non alium fortasse invenias; quem sic Deus honorari voluerit præter Philippum. Sed hæc posteriora non postulat, prioribus autem contentus non est: alia Divini Amoris in se argumenta desiderat. Illum ipsum Amorem suum expetit in se ita descendere, ut repleatur totus ipso; transferatur in ipsum, habitet cum ipso, ipsius magnitudinem intra se corde, & anima complectatur. Quid quæris Philippe? quem totus non capit Orbis, intra exiguos cordis & pectoris tui cancellos concludes? An te latet quod Meletius profitetur apud Epiphanium, (*hæres.* 72.) *dilatari oportet cor ejus, qui inhabitantem spiritum recipere velit*? Fac temperes cupiditatem immensam, & ne ultra quam fas est homini consequi requiras. Verum næ ego ineptus, qui quod nulli hominum contigisse noverim, id judicem nec posse Philippo evenire, neque interim reputem Philippum,

pum, esse qui flagitat. Ille flagitat, & ipso Pentecostes die ignei globi forma, cum ejus obsequi voluntati, & amori respondere vellet, *insiluit super eum Spiritus Domini*. Rapi sentio me iterum eo, unde vos ab initio deduxeram, & ad Apostolos animo, & cogitatione referri. Supervenientes in eos ignitas linguas suspicio, quibus mirum in modum inflammantur; in hunc descendentem ignem admiror, quo magis accenditur. Illi amore ebrii musto madere existimantur; hic præ amore totus concutitur, labat, nusquam potest consistere. Illi inde egressi prodigia innumera, quacumque incedebant, operabantur: hic qua effusis ad Deum precibus, qua Crucis signo, qua manuum tactu, qua imperio vocis, qua vestibus ipsis, & crepidis, tamen multa prodigia patrat, ut inanem operam sumat is, qui velit omnia percensere numerando. Non imminuendi Dei in Apostolos beneficia gratia dicam, at Divino Amori, satis fuit eorum capiti insidere: in Philippi præcordia delabitur, eum totum pervadit, cor amplificat, pectus extollit, costas perrumpit. Quid tu Meleti, qui cordis amplitudinem postulas, an ejusmodi legem præscripseras apud Epiphanium, ut hac ratione dilataretur cor ejus, qui inhabitantem spiritum vellet excipere? Enimvero tam magna non requisivit, sed satis fore putavit illam latitudinem cordis, quam Davidi, & Salomoni olim concessam legimus. Inaudita, nova, homini nondum impertita sunt hæc, ut non solum intus in corde augeretur amor, sed cor ipsum amoris sedes extenderetur, ut satis amplus esset eximiæ, nec aliis communi divinæ charitati locus. Sibi gaudeant quantum libet alii, & jure gaudeant secum amanter benevoleque Deum O. M. egisse. Alii cor divinis petitum jaculis ostendant, alii in ipso divinum nomen divina manu inscriptum efferant, alii insculptum

com-

commonſtrent. Magna ſane iſta ſunt, & invidia, ſi ullum hic habet invidia locum, digniſſima; nihilominus tamen moderatio quædam amoris in his apparet, qui ſenſim ſe ſe inſinuat, & leviter permeans invitat, blanditur, allicit, & *admiſſus circum præcordia ludit;* (*Perſ.*) niſi Sapientem audire malis, *magna cum reverentia diſponit*, nec in eos ante ſe ſe infert, quam ipſimet aperuerint, ex ea per Joannem (*Apoc.* 3.) promulgata lege, *ſi quis aperuerit mihi, intrabo ad illum, & cœnabo cum illo, & ipſe mecum.* At in quem violens irruit, cui cor ſtupente natura amplificavit, cui non expectans ut ſibi fores aperirentur, & ultro ſibi aditum patefaciens pectus infregit, & perpetuo infractum voluit, quaſi perpetuo apertam per illud patentemque viam ſibi nulla interpoſita mora ingredienti munierit? quod ſi Deo apertum eſt Philippi cor, quidni Philippo quoque adhuc in terra degenti aperiantur cæli, recludantur Paradiſi portæ, cæleſtes voluptates, gaudia, deliciæ vel viventi innoteſcant? Ita ſane: non unus Stephanus vidit, non unus Paulus cognovit, quæ non licet homini loqui. Quin ille ſemel, & morti proximus vidit; hic ſemel hanc vitam vivens raptus eſt in cælum. Quoties Philippo in remota cella ſacris operanti illius æternæ felicitatis gaudia Deus oſtendit, & quæ parata erant ipſi præmia ob oculos poſuit? quis referat quoties illum e terra Deus ſuſtulit, & ſurſum ad ſe abripuit? Erat enim hæc virtus eadem amoris, ut & Nerius ad Deum, quaſi ignis ſurſum tendens, impelleretur, & Deus Nerium, quaſi magnes ferrum pertrahens, amplecteretur; quis inquam referat quoties illum e terra ſuſtulit? cum jam inde ab adoleſcentia, jam tyronem in hac ſanctitatis militia prope quotidie uſque ad ſenectutem, immo ad extremum vitæ curſum iſtiuſmodi amoris ſui argumentis illum exercuerit; e cæterorum propterea nu-

me-

mero excipiendum, de quibus Bernardus loquitur, cum docet hujusmodi raptus esse *sabbatum mentis*, *in quo emeritus* (non tyro) *in laboribus universis vivit absque labore*. Nunc vero Philippum equidem non interrogem, num satis sint hæc amoris divini signa, an postulet majora. Tanta est enim, qua ex S. Spiritus in ipsum ingressu perfunditur suavitas, ut exclamare cogatur, *sat est Domine sat est*, *contine quæso undas gratiæ tuæ* : *recede a me*, *quia non possum sustinere magnitudinem dulcedinis tuæ*. Hæc audienti mihi prope attonito vox deficit, & admirationi potius, quam Orationi locum relinquendum puto. O illustre amantis exemplum! o amplissimam amoris mercedem! Pro virili sequamur exemplum; amemus, ut possumus, quantum possumus, & enitamur, si fieri potest, plus etiam quam possumus. Amemus, & amabimur.

I. Philippus præ amore lacrymatur.

Imas quæ Nerii sic torquet cura medullas,
Mollibus ut lacrymas exprimat ex oculis?
Obvius occurat si quem malus abstulit error,
Et quem præcipitem in fas agit, inque nefas,
Seu quem pœniteat vitæ olim turpiter actæ,
Et se se Christi proiicit ante pedes,
Non lacrymis metas Nerius, non tempora ponit,
At vena nunquam deficiente cadunt.
Qualis ab aerii decurrens vertice montis
Rivus inexhausto prosilit e lapide.
Seu tenebras Vesper, seu lucem portet Eous,
Plorantem veniens Sol videt, atque abiens.
Quid nitidos, quid flendo tuos corrumpis ocellos,
Quæve Neri, pectus, dic age, cura premit?

Hei

Hei mihi magna meæ ſunt vitæ crimina! ſunt hæc,
Hæc ſunt immenſi cauſa doloris, ait.
Quæ ſunt iſta tuæ incorruptæ crimina vitæ?
Ecquæ juſta tibi cauſa doloris ineſt?
Quidve nocens faceres, ſi ſic ſine crimine defles?
Iſtæ me lacrymæ, me dolor iſte decent.
Aſt ejus lacrymas ne quis putet eſſe doloris:
Hic dolor, hæ lacrymæ, credite, amantis erant.
Peccas? fixa animo alti injuria Numinis hæret:
Culpa hæc deleta aſt? gaudia mentis habet.
Hic hærens animo dolor, atque hæc gaudia mentis
Eliciunt lacrymas, Lacrymæ amoris erant.
Fruſtra diſſimulat, nam Amor illum prodit: obortis,
Sicut apes cytiſo, paſcitur hic lacrymis.
Quidquid agat, luget, quoquo veſtigia torquet,
Lugendi cauſas mille miniſtrat Amor.
Fragrantes variis ſi viſat floribus hortos,
Seu te flebilibus ſcriptum Hyacinthe notis,
Seu te proſpiciat, qui Chriſti immania mœſtis
Inſtrumenta necis exprimis in foliis,
Quem flexo innocui cingunt diademate ſentes,
Parvaque ſtat medio fixa columna ſinu,
Tergemina virides quo pendent cuſpide clavi,
Suſpirans Nerius, atque ciens lacrymas,
Floſcule, qui extincti promis mihi vulnera Chriſti,
Creſce meis, inquit, floſcule, de lacrymis.
Excipit interea verba intercepta dolore,
Myrtorum & levi in cortice ſcalpit Amor.
Et ſequitur flentem; flens altos ſuſpicit ignes
Sive tuos Deli, Delia ſive tuos.
Flens legit Hebræi lugubria carmina Vatis,
Carmina Jordanis cognita litoribus.
Flens ſtat, flenſque ſedet, flens ambulat, omnia flendo;
Solvitur, ut gelida Sole calente nives.
Nutrit Amor fletum, ſic fletus nutrit Amorem:
O Amor, o fletus, creſcite uterque magis.

Cre-

Crescite in immensum: vasto sed gurgite ab illo
Rivulus ex oculis defluat inde meis.
Non fontem mihi pandit Amor; fons iste Philippi est;
Davidis fontem tu mihi pande dolor.

II. Deus Philippum exundanti replet gaudio.

Candida cum se se nubes demittit ab alto,
Ut maris e vasto gurgite potet aquas,
Illam cæruleus cupidis amplectitur humor
Ulnis, ac totam permeat: illa gravis,
Nec lymphas cohibere potens emergit, & agros
Fundit in arentes gaudia Ruris, aquas.
Jamque novis omnis vestitur frondibus arbos,
Floresque attollunt per nova prata caput.
Hic spectare juvat nitidas per lilia guttas
Ludere, & hic rubeas luxuriare rosas.
Lætantur circum montes, campique virentes,
Excitat Agricolas certa futura seges.
Haud aliter totum cælesti fonte Philippum
Fonte voluptatis imbuit ipse Deus.
Huc si quem tristis fortuna tenaciter urget.
Lætitia exundat Nerius; inde bibas.
Christo ut Joannes, tu sic incumbe Philippi
Pectori, & ex illo gaudia fonte bibes.

I. Philippus præ amore vigilat.

Sol nostras postquam lustravit lampade terras,
Occidit: & vulgus, Sol requiescit, ait.
Verum alias subter radianti lampade lustrat
Terras, ignivomis irrequietus equis.
Quisque putat Nerium somno lenire labores,
Texit ubi placidis omnia nox tenebris.
Verum sacra jacent qua subterranea busta,
Huc vigilans intrat, repperit hic quid agat.

Nil mirum, si lustrat humum noctesque diesque
Sol radiis; cursum conficit ille suum.
Ast homini natura dedit requiescere noctem:
Cur levat haud somno membra Philippus? amat!
Ille diu cunctos ad amorem invitat Amoris:
Noctu quærit, quem diligit ipse sibi.
Noctu Sponsa vigil sic Tu quoque circumis urbem.
Sponsa, o amore vigil! Neri, o amore vigil!

II. Deus Philippum dormire non patitur.

Quem modo nocturnæ perpessum frigora brumæ,
Nunc hac, nunc illac acer agebat Amor,
Quem vos orantem vidistis sidera nuper
Templorum ante sacras procubuisse fores,
Qui ad vos Heroum Cineres per opaca locorum,
Perque hypogæa pedem nocte tulit vigilans,
Ut longis fessos curis suffulciat artus,
Denique in exiguum se tulit ille torum.
Quisquis adest linguis faveat, languentia claudet
Vix tandem Nerii lumina sera quies.
Alma quies animi, somne o dulcissime, tandem
Claude, precor, Nerii lumina, somne veni.
Ille quidem parvo reclinat membra cubili
Languida, sed claudit lumina nulla quies.
Ecquis fert madidum lethæo rore papaver,
Ecquis somniferis tempora spargit aquis?
Cur non vel flatu Zephyrus, vel murmure rivus,
Vel blando hic somnium gutture suadet avis?
Infelix toto fundens suspiria lecto
Assidue incensum versat amore latus.
Nunc jacet extrema in sponda, nunc dura relinquit
Stramina, & in gelida membra reponit humo.
Audistis? videor mihi certe audire: Philippus
Nescio quid certe conqueritur vigilans.

O Deus

O Deus, alme Deus, flammis tandem addere flammas
Parce, precor, nimiis æstubus intus agor.
Uror; ceu stipulæ flamma crepitante cremantur,
Horrida cum dumis rusticus arva secat.
Ah Deus abscedas! sublimi vertitur axe
Sub tardam Arcturi Parrhasis ursa manum.
Hinc paullum abscedas; nunquam velabit amictu,
Donec ades, fusco lumina nostra sopor.
Quis queat interea divinas dicere voces,
Cum Deus insomnem detinet alloquio?
Ille vigil multæ consumsit tempora noctis:
En sopor incertus lumina fessa tegit.
Ipsa sed in somnis dilecta occursat imago,
Ardens qua Nerius vulnus in ossa trahit.
Hanc ille adspiciens jejunos pascit ocellos,
Ignes hæc illi suscitat usque novos.
Suscitat, & nisu trahit ardor in aera, somnus
Hinc male sopitis decidit ex oculis.
Ac veluti medio montis quæ clauditur antro,
Angustis se se proripuisse locis,
Inque suum ferri rapidissima nititur orbem
Fusa per aerias ignea flamma vias;
Haud aliter Nerii casto circum undique fervens
Erupisse sacer pectore gestit Amor.
Hinc illum magno trahit ardor in aera nisu.
Tollitur e lecto, Te sequor, inquit, amans.
Deque cavis alto prospectans astra fenestris,
Quæ rutilum spargunt æthere fixa jubar,
Astra, sinu vestro num tantum clauditur ignis,
Angusto quantum in pectore alit Nerius?
Nox fugit interea; propera ô dulcissime somne,
Tuque Amor a Nerii pectore cede, precor.
Nunquam ab Dius Amor satur est; nec perpeti amantis
Exiguo potis est tempore dissidium.
Felicem ô Nerium! & nox o tibi candida! & ô tu
Lectule divinis facte beate jocis,

Longa, Philippe, tibi ne sit mora, nec tibi noct.
Ullus sit vigili præteriisse labor.
Venerit illa dies, qua sublimi altior axe,
Mortali erumpens carcere ad ætherias
Spiritus evadet sedes, dulcissimus almo
Sponsus ubi excipiat, detineatque sinu.
Hæc meta, hæc statio; recubantem Numine in ipso
Hac æterna, Neri, Te manet una quies.

I. Philippus amore insanit.

O rem ridiculam, oppido, & jocosam!
Ridete o Pueri, Viri, Senesque:
Ecce Urbe in media senex Philippus
Doctrina, studiis, & arte magnus,
Major moribus, integraque mente,
Sacro munere maximus sibi ipse,
Nunc prorsus hominum immemor, suique
Nugis obsequitur senex facetus:
Ridete, o Pueri, Viri, Senesque.
En nunc militis ante templa Divum,
Attrectat leviter, fricatque barbam;
Nunc lento graditur levis per Urbem
Passu, & fasciculum manu e genistis
Expertem retinens odoris omnis
Crebro naribus admovet decenter.
O rem ridiculam oppido, & jocosam!
Quid narrem ut rubei coloris imos
Indutus tunica tegente talos,
Nec non calceolis revinctus albis,
Se totum adspiciens, sibique plaudens,
Ut Pavo inter aves nitente cauda,
Apud se lepide excipit potentes
Viros ridiculus, jocosus hospes?
Quin coram populo furore captus
Alterno pede saltat, & choreas

Solus

Solus instituit patente luce;
Non Arcam ante Dei Propheta ut olim,
Ast in quadriviis & angiportis.
O rem ridiculam oppido & jocosam!
Sed quid dissimulo, mororve ludens?
Silete, o Pueri, Viri, Senesque.
Res mira est nimis, & nihil jocosa:
Non Philippi agitat furor cerebrum,
At mentem æthereus perurit ardor,
Nugisque obsequitur Senex facetus,
Flammam ut temperet æstuantem amoris;
Quem tali ille modo ni relaxet,
Qui tanto valeat valere ab æstu?
Silete, o Pueri, Viri, Senesque:
Res mira est nimis, & nihil jocosa.
Nunquàm desipuit minus Philippus,
Quam cum desipuit flagrans amando.
Quis prudenter agendo tam sapit quam
Stulte agendo, at amans sapit Philippus?

II. Deus Philippum serio agentem per ludum impedit. Ode Sapphica desideratur. Vide Præf. ad Lectorem.

Ne vacuus relinquatur locus, habeto iterum

De Philippi Lacrymis.

O qui supremo Numini,
Ministri adestis Angeli,
Jam conscii Neri omnium
Alte abditorum sensuum
In intimis præcordiis,
Adeste formosissimi.
Vos o, misellum languidum
Tunsum retunsum, dicite,
Quæ cura vexet corculum.

Videtis? ille amabilis
Veſter ſodalis Nerius,
Ille ille purus moribus
Intaminatis Angelus,
Heu! ſuave largo proluit
Os lacrymarum flumine, &
Longos trahit ſuſpiritus.
Heus vos, miſellum languidum
Tunſum retunſum, dicite,
Quæ cura vexet corculum;
Non lacrymæ pauxillulum, aut
Suſpiritus creberrimi
Sinunt Philippum proloqui.
Is præpotentis ſaucius
Ad intimas medullulas
Divini Amoris ſpiculo
Luget, liqueſcit, ingemit.
Illas ocellis exprimit
Divinus ignis lacrymas.
O lacrymæ dulciſſimæ,
Dulciſſimi ſuſpiritus,
Divini Amoris indices.
O corculum tenellulum,
Vi lacrymarum jam obrutum,
Totum ſolutum in lacrymas,
Ut nix micantis ſolvitur
Solis calente lampade.
O ter beate lectule,
O ter beata cellula,
Anhelitûm, ſuſpiritûm
Teſtis mihi fidiſſima,
Quam continenter Nerius,
Et ſtans ſedenſque & ambulans
Quocumque ſe ſe verteret,
Suis rigabat lacrymis.
O vos beati, o hortuli

Quos

Quos sæpe adibat Nerius
Lasso ut gementi languido
Daret quietem corculo.
Seu te videret flebili
Inscripte signo flosculæ,
Seu te virenti fronde, qui
Insculpta Christi barbara
Sævæ arma mortis exprimis;
Nunc uberes erumpite
Dulcissimæ mi lacrymæ,
Et cara, ait, suspiria.
O quam libenter intimo
Vos vos foverem pectore,
Amabilissimæ notæ
Dolorum Amoris unici.
En lacrymarum flosculos
Imbre irrigat fluentium,
Et sensuum impos concidit.
Huc vos adeste o Angeli,
Et corculo tenellulo
Præbete præsens pharmacum.
Ah ah parumper sistite
Vos lacrymæ, vos suspiria;
Namque hoc tenellum corculum
In vos solutum lacrymæ
Totum ex ocellis effluet.
Quin crescite o suspiria,
Et crescite o vos lacrymæ:
Ut lacrymas Amor fovet,
Alunt Amorem lacrymæ.

I. Philippus amore ægrotat.

O qui jacentes corpore languido
(Quos dura curru vectat aheneo
Mors inferas raptura in ædes)
Pæonia relevatis arte,

Huc, huc: Philippum fata minantium
Cingunt ovantes agmine febrium
Morbi: arbitram vitæ, necisque
Mors parat invidiosa falcem.
Heu quassat artus æger anhelitus!
Pallore tinctæ funereo genæ,
Et clausi ocelli, jam imminentem
Interitum referente vultu.
Herbas potentes ferte, salubribus
Et mixta succis pharmaca. pharmaca,
Herbæque nil prosunt: stupentes
Igni agedum revocate sensus.
Ast ille quantis æstuat ignibus!
Ferventque magnis ossa caloribus,
Imæque liquantur medullæ.
Frigidulas adhibete lymphas.
Sic cum aura circum ludit amabilis,
Rivus jocoso vel pede proluit,
Flores revivifcunt labantes,
Quos rabies perimit Leonis.
Vis nulla lymphis: os nihilo minus,
Et pectus ardet; Parcite pharmacis,
Non illum acribus torquete flammis,
Frigidulas removete lymphas.
Non arte vestra Nerius indiget:
Amore languet. Fulciat illico
Proh! floribus, proh! stipet illum
Sponsa suis, sacra Sponsa, malis.

II. Deus Philippo pellendi morbos facultatem dat.

Astra super, solemque super, qua purior æther
Spargitur, & perfusa nitent pura omnia luce,
Tollitur Æterni Regis solium. Omnia quæ sunt
Inde creat, legesque Orbi fert æquus, & uno
Astra potens, Terrasque potens, atque æquora nutu
Con-

Concutit: immotum pedibus substernitur olli
Fatum, Sors, Natura, Locus, quæque ordine certo
Metant diversos labentia tempora motus.
Hac de sede Deus, terras unde arduus imas
Despectat, Nerium atque ægrum corpus amore
Conspicit, atque infit: Subrectis auribus omnes
Prona bibit voces natura, illasque perenni
Interea Fatum famulans adamante notavit.
O nobis dilecte Neri, sua præmia habebit,
Qui tibi nunc vires delassat imagine morbi,
Nostri Sanctus amor: fuga morbi præmia sunto.
Sit licitum quodcumque voles, Naturaque voci
Pareat usque tuæ, jubeo, stupidusque Philippi
Ad nutum paria his cernat miracula Tibris,
Quæ olim Jordanis, mirataque Bethana vidit.
Scilicet imperio disrumpent aspera linguæ
Vincla tuo, discentque loqui; tenebrasque priores
Discutient oculi, & læti nova sidera, læti
Compagem hanc rerum, insperataque lumina Solis,
Teque una adspicient, fontem auctoremque salutis.
Tu morbis labefacta, diuque trementia membra
Stringes, & validas tribues cum robore vires;
Tu ruptis largo manantem fonte cruorem
Pectoribus poteris uno compescere verbo,
Exanguesque artus facies pallentiaque ora
Protinus obstructis calefacta rubescere venis.
Sic volo, sic jubeo. Nerio mutabitur ordo
Rerum, nec solitas leges Natura tenebit,
Officiumque suum præstabunt cuncta Philippo.
Sive ergo jubeat discedere corpore Febres,
Jussæ continuo discedite corpore Febres.
Seu vetet ad charos morbos accedere amicos,
Ad charos jussi ne morbi accedite amicos;
Imperet & morti; desertaque corpora rursus,
Cui magis ille favet, repetat, rursusque revisat
Inconcessum orbem, atque alios reviresçat in annos.

Pro-

Prodigiosa ita supra homines miracula tollant,
Supra homines quem tollit amor. Tremuere loquente
Mundi fundamenta Deo: vocem audiit imis
Mors latebris, flectitque caput, mandataque adorat.
Tibri Pater, septemgeminæ, qui mœnia Romæ
Inclyta conspicuis avide complecteris undis,
Quis stupor Urbis, & Orbis erat, cum luminis usum
Jam deploratis post tristia funera reddi,
Atque hilares flentum lacrymas verso ordine matrum
Adspicerent, passimque ægros consurgere stratis,
Sive illos misero casu juvenilibus annis,
Sive senes morbus stratis affixerat ullus?
Qalis enim magno miscentes murmure bella
Hinc Boream, hinc Austrum, tempestatesque sonantes
Dissipat obtutu Nereus, totumque serenat
Cælum, & stagna vadis diffusa reponit;
Aut, qualis nitidi nubes prænuntia Solis,
Collectas Aurora fugat, spargitque per auras;
Talis ad imperium Nerii fugit ilicet omnis
Morborum tremefacta cohors, vocemque potentem
Mors metuit, legesque suas Natura remittit.
Divinum quem Numen amat, sic Numen honorat.
Non quemvis sic Numen amat, sic Numem honorat.

I. Philippus amore e vita decedit.

Qualis ad Eurotam, nitidive ad stagna Caystri
Expirans querulus dulcia cantat Olor,
Et quoties patrio visus de fonte dolere est,
Extremam infelix dum sibi poscit opem,
Visa illi toties Echo de valle dolere est,
Cum misero extremam voce remittit opem,
Adstant arrectis Nereides admirantes
Auribus, & crebris ora rigant lacrymis;
Sed quia divinos pudor est aspergere ocellos,
Tergunt ambabus sæpe genas manibus,

Dum

Dum miser interea testatur voce dolorem,
Flebilibus replens prata, nemusque modis,
Talis ad ornatas cantabat Nerius aras,
Qua sibi præsensit funus adesse die.
Responsat circum cælo demissa juventus,
Sacraque libanti sustinet illa manus.
Quin etiam teneris puerorum immixta puellis
Turba illi intentis adstat hians oculis.
Dum magis adspiciunt hilarem frontemque, coloremque,
O ter io! longo tempore noster erit.
Dicite io! mortis species non ulla, dolorve
Extinctum nostris subtrahet ex oculis.
Ter Parca admoto conata abrumpere dente
Stamina, ter vanum dente reliquit opus.
Hinc frendens tardos ducentes stamina fusos
Proiicit, & plena stamina longa colo.
Dicite io! vivet, lætantes quotquot adestis
Plaudite, io! longo tempore noster erit.
Credula turba sibi confingit talia; Amorque
Ridet, novit enim vulnus amantis Amor.
Nam velut armatæ petiit quem dextra Dianæ
Cervus in irrigua dum sibi plaudit aqua,
Decurrens montis de verticibus præruptis
Fertur languidulo nota per arva pede,
Ielix! hæret lateri lethalis arundo,
Tandemque herboso concidit in nemore:
Talis, at haud tali confixus arundine, sed quam
Promit Amor læva candidus e pharetra,
Nerius, immensum crescit dum in pectore vulnus,
Succubuit dulci victus amore neci.
Ecce jacet placidis ceu quem sopor occupat alis,
Luminaque ipse suis claudit Amor digitis.
Lumina claudit Amor, talisque jacentis in ore est,
Qualis pallidulis est color in violis.
Quis novus ad nostras questus modo pervenit aures?
Heu! heu! inverso carmine quisquis ait;

O Pa-

O Pater, o nostri spes, & solamen Amoris,
Dum licuit, Te nunquam amplius aspiciam?
Nunquam Te amplectar posthac, nunquam alloquar? O
Mors calybe, & scopulis durior Adriacis! (mors!
Heus cohibe lacrymas: ut mors dilectio fortis:
Fortior en Nerium morte peredit Amor.

II. Deus decedentem e vita Philippum potat torrente voluptatis suæ.

Esse quid hoc dicam? Libitina instante, Philippo
Emicat ore tamen risus amabilior!
In promptu ratio: justo mors meta malorum est;
Isthac ad Cœlum janua læta patet.
Navita sic ventis multum jactatus & undis,
Quo magis insanis Adria fervet aquis,
Ut videt in summa accedentia littora portus
Puppi, clamat ovans; Portus amicus adest.
Portus adhuc non prorsus adest; quatit unda carinam:
Naufragii vacuum nec sinit esse metu.
At vacuo licet esse metu portum ante Philippo
Quam tangat, cœli gaudia quem ante beant.
Exundans veluti torrens e corde voluptas
Proditur haud dubie gestibus, ore, oculis.
Quod non humanis concessum est auribus, audit,
Angelicos moriens percipit aure sonos.
Quæ non humanis oculis concessa fuere,
Prævidet is moriens; nam videt ille Deum.
Sic moritur: quin sic vitam incipit immortalem:
Hoc vivens retulit præmium amoris Amans.

Conclusio.

O modo Divini nostris gratissima Amoris
Quæ in Nerio exhibita est inclyta imago oculis!
Assidue Nerius Divinum exquirit Amorem:
Assidue exercet Dius Amor Nerium.

Cer-

Certat uterque ſimul grato certamine: Amantes
Et Deus, & Nerius prælia pulchra cient.
O modo Divini noſtris gratiſſima Amoris,
Quæ in Nerio exhibita eſt inclyta imago oculis!
Impetus eſt nobis celeri veſtigia greſſu
Sectari; at nobis ardua meta nimis.
Tu Pater, e cœlo nobis modo ſuffice vires;
Tu in terris, Princeps, ſufficies animos.

Anno non memini quo.



D. PHI-

D. PHILIPPUS NERIUS

Activam cum Contemplativa vita conjunxit.

ORATIO.

SI cui libeat omnes sanctitatis vias investigare, cum diu multumque meditatus deprehenderit innumerabiles eas fuisse, ut appareat Deum admirabilem esse in Sanctis suis, non solum quia sublimes ejus laudis gradus ad admirationem hominum oculis objecerit, sed etiam quia infinita pene genera ad imitationem obtulerit, tandem plane perspiciet omnem sanctimoniæ rationem laudemque ad duo summa capita referri, ad vitam, inquam, ut ajunt, Activam, & ad Contemplativam; ita ut alii communi bono procurando se se totos tradiderint, alii a cæterorum societate remoti in summo Bono contemplando vitam traduxerint, laudatissimi utrique, qui utramvis impigre secuti fuerint, integreque ad extremum duxerint. Quæ cum ita sint quibus ego illum Virum Sanctissimum præconiis excipiam, cujus hodierno die solenni ritu memoriam festiva celebritate recolimus, quibus inquam D. Philippum Nerium præconiis excipiam, qui utramque rationem vitæ complexus Liam cum Rachele felicissime consociavit, & utriusque expressam ad vivum imaginem in se retulit? Admiror virtutibus animum quasi uberrimum hortum ita excultum, ut inde prodeuntes flores, fructusque in aliorum commodum distribuantur: hunc eumdem repente perspicio, velut Magdalenam, ad contemplanda Dei sui gaudia felicissime raptum: & quamvis hic beatissime conquiescat, imitatus Apostolum; cujus ita totam mentem demerserat, docente Chrysostomo, amor Christi, ut

etiam

etiam hoc, quod ei præ cæteris omnibus amabilissimum erat, esse cum Christo, rursus id ipsum, quod ita placeret Christo, contemneret, ita Nerius non repugnat e Paradiso voluptatis egredi, si Domini sui gloria postulet, aliena salus efflagitet, in suavissimum iterum Dei sinum opportune rediturus. Ita plane, Auditores. Illud Vir sanctissimus vitæ curriculum instituit, ut hunc quasi circulum perpetuo oberraret *Egrediendi* (verbis utar D. Bernardi) (*Ser.* 53. *de modo bene viv.*) *a secreto contemplationis ad activam vitam, & rursus ab activa vita ad secretum intimæ contemplationis revertendi*. Vestris itaque animis intuendum obiicio virum hominibus suam operam bene præstantem, Deoque bene vacantem, ut in eo naturam ignis cognoscatis; lucentis quidem, ut expellat aliorum tenebras, ardentis autem, ut ipsemet sibi suas flammas magis ac magis augeat.

Activam vitam, cujus est, ut D. Gregorius monet, (*Hom.* 14. *sup. Ezech.*) *panem esurienti tribuere, verbo Sapientiæ nescientem docere, & quæ singulis quibusque expediunt dispensare*, admirabilem fuisse in Philippo credo equidem non esse mihi opus multis ad ostendendum vobis, qui & sæpe alias ex hoc ipso loco audistis, & ipsi satis per vos nostis quanta rerum egenos charitate complexus sit, quam sollicite eorum miseriis providerit, ut ne expectaret quidem qui ad se confugerent, sed investigaret ipse, qui inopia laborarent; quanta largitate necessaria egentibus suppeditaret, ut non solum quidquid ipse habebat erogaret, sed etiam a Viris ditioribus demisse peteret, quod ad alienas miserias sublevandas elargiri posset; qui nostis consuetudinem aberrantes in viam revocandi, a vitiis deductos ad amorem virtutum impellendi, resque Fidei rudiores docendi Nerio fuisse perpetuam, ut vel puer, & aliis adhuc in disciplinam traditus, quo tempore discipuli cæ-

teri

teri puerilibus ludis, relaxandisque animis vacabant; ipse imperitis hominibus, quotquot nancisci potuisset, Christiana dogmata traderet: qui nostis tandem nullum charitatis genus omisisse, nullos labores recusasse, quo & omnibus bene faceret, ut in omnibus Divinam gloriam magis ac magis augeret. Quocirca ea, quæ ad actionem pertinent, quippe satis perspecta & cognita indicasse contentus ad illa me longe sublimia, & admiranda interiora spiritus opera exponenda eo libentius transfero, quod hoc ipso ex fonte singularis illa virtus effluxit, per quam in amplificando Divino cultu in salute omnibus afferenda potens Nerius fuit opere, & sermone. Verum quis mihi Seraphim labia mundet calculo ignito, ne tantæ rei sublimitati divinitatique dicendo aut elevem dignitatem, aut violem sanctitatem? Nerio auspice audere juvat, quoniam progredi necesse est, cum referre pedem amplius non liceat. Non ego interim in solitudine, quam ipsa Contemplationis ratio, ac natura postulare videtur ab hominum communione secretum Philippum quæram, sed, quod prorsus admirabile est, in ipsa hominum societate ac turba profunda defixum contemplatione deprehendo. Quid modo intus agitet animo perspicuæ veritatis jucunda admiratione in Deum suspensus, atque æternæ dulcedinis gaudia degustans, haud equidem video: quam facile tamen, quam sæpe, immo qua aliquando ratione tam sublime ascendat plane video. Inter res creatas positus, cum rebus creatis vitam agens, rebus creatis circumdatus, in iis admiratus innumera & infinita bona, quæ Deus munifice per res creatas diffudit, ab iis illico mente fertur in illum perennem divinæ bonitatis fontem, unde illa manarunt. Itaque admirandum hoc universæ naturæ spectaculum, non dicam gradus ad ascendendum, sed pennas ad volandum in Deum suum Philippo sup-

suppeditat. In illa enim immensa luce mentis infixis oculis non humano modo a notioribus ad minus nota gradatim progreditur, sed claritate desuper veniente, ictu oculi, simplicique intuitu, Angelorum more divina intuetur. Ille igitur per res creatas non creatas agnoscit, per simulacrum rude, absolutissimum exemplar, & quod ait Augustinus, *pulchritudinem per pulchritudinem*. Neque tamen in rebus natura constantibus ille videndo diutius immoratur, sed repente exurgit in Deum, aut, ut aptius dicam, in rebus factis Divinam potentiam, sapientiam, bonitatem, pulchritudinem immensam unice admiratur; quemadmodum si cui in nitidissimo speculo amata facies obiiciatur, is videt imaginem, ea tamen specie minime detinetur, sed mente animoque in exemplo hæret, quod imaginem exhibet. Ex hac sublimi Divinæ Naturæ cognitione, ex ea superna, & inextincta luce Divinam pulchritudinem patefaciente, ecquis mihi explicare possit, qualis quantusque ardor Philippi animum incendat? Quis tam bona, tam pulchra videat, quin admiretur? quis admiretur, quin toto amoris impetu ea perdite prosequatur? Nimirum *amoris ignis* (a Gregorio intelligo) (*in Ezech. Hom.* 14.) *qui hic ardere inchoat*, hoc est, qui ad contemplationem impulerat, *cum ipsum quem amat viderit, in amore ipsius magis ignescit*. Adeste mecum, Auditores, & orantem hominem mentis oculis insequentes, quid externis ejus sensibus accidat diligenter attendite, ut inde quid intus agat liceat quoquo modo coniicere. Vides quam diu ita immotus persistit, ut non vivens homo, sed hominis simulacrum videatur? ut surdo loqueris, si cum Philippo loquaris, ut ante cæcum consistis, si ante Philippum consistas, qui aut clausos habet oculos, aut etiam apertis oculis minime videt? Ecquid isthuc sit non obscure equidem intelligo. Cum enim in-

 terio-

teriores sensus, & animæ facultates insolita luce, & amabili suavitate, qua se Deus illis intime repræsentat, repente persusæ ad eumdem, officiorum quæque suorum veluti oblitæ, se se libentissime celerrimeque convertant (quo fere pacto oves, ut a Teresia doceor, ad Pastoris sibilum sine mora moventur, eumque circumstant, aut velut acus, ut Salesius docet, ad magnetem in medio positum cuspides vertunt) externi quoque corporis sensus redundanti dulcedine allecti interiorum societatem appetunt, eoque quasi in centrum tendunt, ut interiore illo recessu cum Deo jucunde & ipsi detineantur. Videtis ut ille arrectus hæret audientis instar, & avidissime audientis? Quamquam nihil loquentem audio, audire mihi videor dicentem: *audiam quid loquatur in me Dominus Deus, quoniam loquetur pacem.* Verba pacis, quietis, tranquillitatis inenarrabili cum delectatione intime Philippus percipit, in eam modo solitudinem ductus in qua Osee promiserat contemplanti Deum locuturum ad cor ejus. Divina Sponsa, quæ in ea solitudine jucundissimam, immo vero beatissimam vitam traducis, en modo socium habes, qui tuo & ipse gaudio exultans, tecum concinit: *sub umbra illius, quem desideraveram sedi, & fructus ejus dulcis gutturi meo.* Ecquis nunc Philippum in tanta voluptate conquiescentem interpellare audeat, & a Dilecti dulcissimo amplexu amantem divellere? Atqui ille, nescio num revocatus ab ullo, an aliquo motu intimo impulsus, ab illa beatissima quiete recedit, & prout res postulat, aut necessitas flagitat, cum hominibus agit. An ideo putatis a familiari cum Deo consuetudine recedere, intimisque deliciis suis interim carere? Minime vero gentium. Voluntas enim Deo perpetuo adhærens eadem cum Deo perseveranter fruitur tranquillitate, eo ipso tempore, quo intelligentia, & corporis tum interni,

tum

tum externi sensus in Dei honorem, hominumque utilitatem occupantur, tantumque abest ut ullam jacturam faciant, aut ab arcta Dei conjunctione disjungantur, ut immo ad exequendum munus ex hoc aptiores fiant, & alacriores. En si unquam alias, quod ante dixeram, Lia cum Rachele conjuncta. Neque id mirum aut incredibile videatur, intelligentiam, & φαντασίαν posse divinis, & humanis rebus inter se diversis eodem tempore vacare, easque simul cognoscere, propterea quod istæ ab illis pendent, ab iis profectæ ad easdem referuntur; ut opus ab arte distinguitur, utrumque tamen artifex simul vult, simul utrumque cognoscit. Ita Nerius potuit in Sapientiæ spectaculis cum admiratione & gaudio defigi, & eodem tempore res in Dei gloriam faciendas cognoscere, & corporis sensibus, ut eas facerent, imperare; ex quo & perfectiora hominis sanctissimi fuerunt opera, & illa amoris puri *prima*, uti vocant, *scintilla* excusa est, quæ dein aucta in ardentes adeo charitatis flammas evasit, ut occulta intus contineri non potuerit, quin foris præ magnitudine vehementer erumperet, hominemque quasi ebrium agitaret, ebrium, inquam, prudentissima amoris ebrietate. Ex illo enim amore (Doctorem Seraphicum Magistrum sequor,) *quasi ex vini fortitudine fervor Spiritus S. sic hilarescit, ut se intra se cohibere non possit.* Nonne cum hujus ebrietatis effectus S. Doctor describeret, per quam *gaudium repente infusum totum cor concutit ex sui vehementia, quosdam tremores commovet, & delectabiliter cruciat .... sed ex impetu fortitudinis corpus debilitatur, & aliquando per quosdam gestus & clamores quasi evaporando erumpit*, nonne inquam videtur multis ante sæculis plane Nerium effinxisse, qui præ fervida charitate identidem velut ebrius sapienter desipiebat, & gloriose delirabat? Irrideant per me licet, inusitatos

Philippi gestus, immodicos impetus, saltus vel ineptos illi irrideant, aut admirentur, qui, quantum amoris ebrietas possit, ignorant: quos interim iis socios adjungo, qui Apostolos multo madere deputabant, quos spiritus repleverat: illum vero non minus quam Apostolos iis addo, quibus blandissima invitatione Sponsus ait, *bibite amici, & inebriamini carissimi*. Sed quoniam tanta hominis commotio, tam vehemens corporis agitatio, nec perpetua, immo nec diuturna esse potest, natura ipsa laborem & requiem alternis vicibus postulante, par tandem est Philippum requiescere. Quiescit ille, & in amabili Dei sui sinu sopitus obdormit, eo nimirum somno, de quo Ricchardus a S. Victore, *somno interioris hominis, per quem soporantur omnes sensus mentis: simul enim absorbet cogitationem, imaginationem, rationem, memoriam, intelligentiam, ut quod Apostolus scribit, exuberet omnem sensum. Hujusmodi somnum anima inter veri Sponsi amplexus capit, cum in ejus sinu requiescit*. Nolite putare quam somni corporis videtis esse naturam, qui corpus ipsum otiosum efficit, atque iners, eamdem esse somni spiritus. Nam *ego dormio*, Nerius ait, æque vere atque Sponsa, sed æque vere atque Sponsa etiam ait, *cor meum vigilat*. Ille Deus qui Philippi animam amoris ebrietate æstuantem fecit, idem amoris somno reddidit conquiescentem. Recumbente Nerio in Sponsi sinu, ah! ne sit ita crudelis ullus, qui *suscitet & evigilare faciat dilectam animam, quoadusque ipsa velit*, nisi si ad populi salutem Sponsi gloria idipsum requirit. Alacrior enim promptiorque excitabitur ex hoc spiritus somno ad ferenda magna, & agenda, cum id efficiat somnus spiritus, quod somnus corporis, qui reficit instauratque vires, aptiusque reddit corpus ad labores. Fateor equidem me penitissimas cordis latebras in Philippo intueri nitentem deficere, mentemque tanta

luce

luce perculsam mihi tenebricosa nocte operiri. Ecquid ego sciam in hac amandi arte ignorantissimus unus, si Teresia, quæ Deum ipsum Magistrum habuit, easque delicias toties experta est, tamen quid anima Deo conjuncta eo in statu ageret ignorabat? & medius fidius verba, quibus quid sibi fieri intus sentit exprimat, Nerius ipse non habet. Nihilo tamen secius cum sensus externos omni facultate exercendi munia quosque sua destitutos inspicio, ita ut neque oculi quamvis viva luce persusi quidquam videant, neque aures vel magno strepitu perculsæ quidquam audiant, neque odore ullo vellicentur nares, neque palatum sapore afficiatur, nec tactus in toto corpore æquabiliter fusus aut ferri vulnera, aut ignis appulsus sentiat, nec ullum vitæ ulla in parte corporis vel minimum argumentum appareat, quid nisi extra se raptum suaviter & in Deum, ut ajunt, transformatum amabiliter credam? Pronuntiare id ex me non auderem, nisi ducem mihi se cum multis Ricchardus offerret, cum ait; *in hoc statu dum mens a se ipsa alienatur, dum in illud divini arcani secretarium rapitur, dum ab illo divini amoris incendio undique circumdatur, intime penetratur, undequaque inflammatur, se ipsam penitus exuit ..... & inspectæ pulchritudini configurata in illum quem diligit tota liquescit*. Sentio me in res supra me immensum positas audacius progressum, & quamvis usque mihi duces satis tuti præsto fuerint, libentissime abrupto Orationis filo, ex hoc loco descenderem, ni mihi Nerius corpore ipso e terra sublatus, in sublimi suspensus, immotus, lucidissimisque circumdatus radiis repente obiiceretur. Ecquid hoc? Num Angeli ministri supremi Numinis, ut homini corporis vincula dissolvere, quo ad Deum avolet, concupiscenti aliqua ratione morem gerant, quoniam corpus relinqui adhuc non licet, illud saltem cælum versus

extollunt? an vero anhelante in Deum Philippi ſpiritu, velociterque in eum volante, præ contentionis vehementia corpus ipſe animus impetu ſecum attrahit? An tandem quia corpus ipſum (quoniam contemplatio illius æternæ beatitatis principium quoddam eſt, quæ in cælis aliquando aperto divinæ bonitatis intuitu perficietur) num quia corpus quoque illarum facultatum incipiat eſſe particeps, quibus ſuo tempore Beatorum corpora dotata erunt? Quidquid ſit, certe ſe ne Philippus quidem ſcit, & uſurpare poteſt, quod Apoſtolus, *ſive in corpore, ſive extra corpus neſcio, Deus ſcit; vivo ego, jam non ego... quoniam qui adhæret Deo unus ſpiritus eſt*. En votorum ſumma; verſanti in terris homini ulterius progredi non licet. Pervenit Philippi anima ad cæleſtes nuptias. Ibi inſedit... eloquar, an ſileam? at ſi Chriſtus ipſe in Joanne promiſit, *ſi quis diligit me... ad eum veniemus, & manſionem apud eum faciemus*, ecquid verear quod ſanæ doctrinæ congruit fidenter dicere? in Philippo inſedit (nomen auguſtum mecum, Auditores, veneraminor) Trias ſanctiſſima in Philippo inſedit. O Philippe, o beata Anima in cujus centro ſedem poſuit Deus Trinus & Unus! ibique ceu Sol medium cæli locum obtinens Lunæ, Stellis, rebuſque infra poſitis lumen impertitur omneſque ſuo ſplendore colluſtrat, ita Deus omnes tuas animi corporiſque facultates ſuperna luce perfundit, quo quid ad ejus augendum cultum, & hominum ſalutem procurandam conferat, probe videas, facileque perficias. Hinc ille Divini honoris ardentiſſimus amor, ut cum Paulo complaceat ſibi *in infirmitatibus, in contumeliis, in anguſtiis* pro Chriſto. Hinc vehemens illa alienæ ſalutis cupiditas, ut optet cum eodem Apoſtolo, *anathema eſſe a Chriſto, pro fratribus ſuis*. Dixi pro re pauca, pro tempore ſatis multa, ut intelligatis Viri hujus ſanctiſſimi

mix-

mixtum fuisse ex actione, & contemplatione vitæ genus. Nobile, sublime, admirandum ostendi vobis adhuc ædificium; quibus extructum fundamentis fuerit non ostendi. Arborem adspectu pulcherrimam, fructu uberrimam per me vidistis, radices unde incrementum habuerit non vidistis. Radices optimæ, fundamenta firmissima fuere charismata Sancti Spiritus, quæ nostri ita dividunt, ut alia *Gratias* alia *Dona* vocent, & illas ad Activam vitam, ista ad Contemplativam referant. Hunc vobis socii Academici relinquo campum, magis profecto amplum, quam ut possitis totum percurrere. Quam tamen potestis partem percurrite. Optabilius fuerit Auditores cum desiderio, quam cum satietate dimittere.

I. In Philippo fuit Discretio Spirituum.

Quem fugis ah demens? non te pulcherrima flectit,
Quæ charitum suavi nectare sparsa nitet,
Et quam Divinus mage pulchram reddidit ignis,
Non isthæc facies te allicit? hanc ne fugis?
Quem fugis ah demens? fugis illum, e pectore cujus
Cælicus expirat Virginitatis odor.
Te pudet, ah video, impuri quod cordis opaca
Noscet, & insolita corriget arte scelus.
Ne fugito: accipitrem fugit inviolata columba,
Et fugit impastum mollior agna lupum.
Ad Nerium propera; fies intacta columba,
Quique lupus fueras, protinus agnus eris.

II. Donum Scientiæ.

Quilibet longos sibi opes benigna
Sorte congestas habeat per annos;
Jamdiu has nostrum refugit nocentes
Pectus, & odit,

Quæ levi & certa fugiunt ruina.
Diruat fortis rota si malignæ,
Jactor incertus veluti frementi
Cymbula ponto.
Non ego fastu decorata quæram
Tecta Tyrrheno, Parioque cultu
Inclytas ædes; avido ore tempus
Omnia pascet.
Gloriæ postes rutilantis altos
Non ego intrabo, neque grandiorum
Limina invisam, tenuem aucupatus
Flaminis auram.
Instar hæc fumi tenuis per auras,
Quem fremens sævo Boreas furore
Huc modo atque illuc rapidum repellit,
Cuncta feruntur.
Ac velut multo gravidas vapore
Sol pater nubes Oriens abegit,
Et novo Cælum radio serenans
Luce renidet;
Haud secus vero radiante Sole
Cuncta vanescunt tenues in auras,
Ac nitent frustra bona præpotenti
Victa nitore.
Hæc ait prudens Nerius; supernis
Lumen infundens Paracletus oris,
Donat ardentem æthereo igne rerum
Noscere inane.
Instruit late populos caduca
Cuncta sub cælo; nihil esse longum
Dulce mortali, sed ad alta, clamat,
Tendite votis.
Hic salus nobis stabilisque portus:
Quisquis huc actam referat carinam,
Nec maris sævam rabiem, gravemque
Sentiet austrum.

I. Pro-

I. Prophetia.

Favete linguis, cernite, Nerii
Vultus favillas eiicit igneas.
favete linguis: fata plenus
Numine vaticino ore pandit.
Ah! flecte cursum: prospice, jam impete
Magno feruntur turbida in æquora,
Nimbos agentes, & procellas,
Carcere ab Æolio Notusque,
Eurusque, & unus sævior omnibus
Crebris modo altas tollere fluctibus,
Et nunc in imas Auster undas
Mergere vorticibus carinas.
En en coruscis emicat ignibus
Æther, furentesque evocat intimis
Antris procellas: flecte puppim,
Flecte tuam, periture, puppim.
In saxa magno jam miser irruis
Ictu, profundis heu! latet (effuge)
Charybdis undis, omnibusque
Scylla vorax metuenda Nautis.
Ecquid sereno Nerius enitet
Repente vultu? quis residet novus
In ore risus, pacis almæ
Lætitiæque comes? Philippus
Jam læta læto carmine præcinit.
Favete linguis. Qui latitas diu
Ignote, virtutum tamen quem
Magna cohors comitatur, exi,
Exi tenebris. En tibi Purpura
Longo paratur splendida Syrmate:
Sume eja, virtus quod paravit
Grande tibi, pietasque munus.

Ma-

Majora ſed Te fata manent: eris
Princeps Sacerdos: nec mora nobile,
Sanctumque adi Regnum, & decorum
Cinge caput triplici corona.
Da jura Terræ, da maris incolis
Princeps; Avernæ Te metuunt domus,
Tuumque Cæleſtes ab alto
Imperium venerantur axe.
Quam ſæpe formis verſicoloribus
Vates refulget! lumina fulgurant,
A ſummo ad imum contremiſcit,
Et nova fata aperit. ſavete
Linguis. in altum jam feror æthera
Evectus inter Cælicolas, Choris
Jungor beatis, jamque paſco,
In Te avidos, Pater alme, viſus.
Jam læta felix, jam properat dies,
Extollat aras quæ mihi: ab exteris
Accedet oris, debitoſque
Gens referet mihi grata honores.
Jam dona pendent mille precantium,
Votique noſtro munere compotum,
Jam noſtra ſacratis refulget
Effigies, coliturque Templis.
Uſque huc Philippus; me ſacer arripit
Pro quantus horror! multa deoſculans,
Jacenſque humi Vatem ſilenti
Attonitus venerabor ore.

II. Donum Intelligentiæ.

Quis novus ætherea circum de ſede coruſcans
Emicat, & Nerium ſplendor ubique tegit?
Quæ totum veſtit lux candida, ut aureus omnem
Exoriens rutilo lumine Phœbus humum?

Men

Membraque pervadens nitidissima, sensibus imis
Illapsa introrsum mentem animamque rigat?
Infandas disjecto oculi mortalis amictu
Immensi dotes prospicit ille Dei:
Prospicit, atque illuc avide connititur; optat,
Nec datur optatum corripuisse jubar.
Ceu qui flagranti velocem fervidus æstu
Insequitur montis per juga celsa feram,
Defixa obtutu tenet ora immotus in illa,
Magno & pone sequens impete carpit iter
Saxa per, & scopulos cursu sectatur inani,
Nam præceps celeri diffugit illa pede.
Haud secus optatum quærit, sectatur, anhelat,
Flagranti Nerius tactus amore Deum.
Quærit, anhelat, amat; quem quærit, anhelat, amatque,
Non illum assequitur. hic dolor ecquis erit?
Sponsa refer, nam sola potes, quod vulnus Amanti est
Adspicere, adspecto & stare ab amore procul:
Quærere, & optatum nusquam reperire morantem,
Plus anima quem tu diligis, atque oculis,
Cum platani mœrens viridi prostrata sub umbra,
Huc o! clamabas, candide Sponse, veni;
Te tua Sponsa unum, Sponsum tua Te petit unum;
Blande veni, in nostros, Sponse, recurre sinus.
Dilacerare potest lethale hoc vulnus amoris,
Hocce potest castam dilacerare animam.
Omnigenos viridi ferte huc e cespite flores,
Mixtus & e variis floribus halet odor.
Malaque ferte citi, malis stipate Philippum;
Emoriens nimio tactus amore perit.
Ex longo rabie ceu qui vexatus edendi
Incassum appositas prospicit ante dapes,
Naribus atque avidis exhalantem haurit odorem,
Porrectosque inhians tentat adire cibos,
Impatiensque moræ demens furit, acrior urget
Languida, nam vetitum tangere, membra fames.
Nul-

Nulla quies Nerio, crescit serventior ardor,
Fortis inextinctis urit Amor facibus.
Anxiaque ex imo ducit suspiria corde,
Tristiaque effusis ora rigat lacrymis.
Uritur ille magis quo plus intelligit, acri
Alta supervectus sidera mente Deum.
O rerum ante omnes quot sunt pulcherrime formas,
Quo melior nullus, nullus amabilior,
Eja o! sollicitis iterabat sæpe querelis,
Despice cælesti me, Pater alme, polo.
Me super astra voca; cæco si corpore clauso
Te mihi nunc rerum noscere, Summe, datur,
Abruptis liber vinclis, cæloque potitus
Effice Te vita liberiore fruar.
Unum inhians Deum, ubique Deum unum quæritat, unum
Et cupit, & vocat, unum ardet, amatque Deum.
Deficit, & corpus persusum frigore lethi est,
Cui nullus sensus, nec color unus inest.
En redit ad sensus; dat se se Amor ipse videndum:
Eheu! dicto oculis ocyus eripitur.
Sic Sponsus sæpe hac optatam quærit, & illac
Infelix Sponsam deficiente anima,
Illa repente procul se se pulcherrima prodit,
Purpureoque nitens lumine tota micat,
Sponsus gaudet ovans, & palmas tendit utrasque,
Proh dolor! en celeri diffugit illa pede.
Deficit hic iterum Nerius, ceu victima Amoris,
Crudescente nimis vulnere Amoris amans.
Alme Deus fer opem misero, concede fruendum.
Te Nerio; miser ah! corruit examinis.
Aut da Te Nerio, aut radiantem subtrahe lucem,
Quæ tantum exusto in pectore vulnus alit.
Quid loquor ah demens? mihi Amor male cognitur: angit
Illum vulnus atrox, languet amans, moritur.
Verum dulcis amor, dulcis languorque, dolorque,
Dulce pati, tali funere dulce mori.

I. Ope-

I. Operatio Virtutum.

Quousque Omnipotens tua
Stabit dextera iners, o Deus, horridis
Cujus mota tonitribus
Late Terra tremit, territa & oppida
Immensus pavor occupat?
Quousque aspicies luminibus bonis
Sagarum atra piacula?
Ut se jactat ovans, concutiens nigras
Flammas, & stygiis comas
Impexa anguibus, ut tetrum Erebum invocat
Serpentum uncta cruoribus,
Infamis magico carmine Thessalis
Imis illane ab Inferis
Manes eliciat, quasque velit sacras
Orco destinet hostias?
Nigris illa tegi turbinibus solum,
Ventos stridere, tetrico
Nubes illa polo pellier imperet?
Absentes voveat, nigras
Deducat rigidis montibus æsculos?
Tellurem illane motibus
Imam concutiat cardine ab intimo?
Horrenda illane Tartara
Nutu subiiciat? somnia, somnia
Hæc, figmentaque inania.
At non somnia, quæ Numine Nerius
Plenus mira facit. quis o!
Condigno referet carmine Nerium?
Tu, tu, sidus amabile,
Promptum supplicibus præsidium ferens,
Cunctis ecce ades in locis.
Quid tunc, o Scytha, quid jam tibi profuit
Sul-

Sulcasse Ionium mare,
Fraudes mente agitans, & tacitos dolos,
Stragemque & fera funera,
Arreptamque ratem, & perdomitos viros?
Perge, o, irrue, Barbare.
Navis scissa labat; fluctibus obrutos
Atra mortis habet pavor.
At frustra rapidi ira æstuat æquoris;
Jam imo ab littore supplices,
Clamantesque viros audiit, audiit
Semoto Nerius polo,
Accurrensque piis vocibus æquori, &
Decertantibus imperat
Ventis, incolumes tutaque ad ostia
Deducit Nerii manus,
Et portare Notos spes jubet irritas.
Natum quid quereris parens,
Contundens manibus pectora, quem cito
Insana abstulit Atropos,
Crudelis nimium, & durior Atropos?
Fortunata Parens, genas
Terge, & luctificis parce doloribus.
Gliscentem aspice filium;
Gaude, euge, & Nerio munera reddito.
Jam dulces pueri undique
Vagitus resonant, & querimoniæ.
Quid Te, Sancte, canam? tuo
Parent imperio mixti Aquilonibus
Imbres, Te resonantia
Ponti vasta tremunt, ipsaque aheneis
Horrens falcibus Atropos,
Nigrantisque pavent limina Tartari.
Hanc auram ergo, superstite
Audetis Nerio, visere, & invehi
Terras has super, improbi,
Vexantes hominum corpora Dæmones?

An

An non cognita Nerii
Virtus? quo fugitis? jamque volantia
Vertunt terga fugæ, & nigro
Se se abdunt barathro; jam fera sibila
Late per loca consonant,
Et nomen Nerii pertrepidi pavent.
Ceu cum obstantia nubila
Findit terrificus fulminis impetus,
Stant primum pavidæ, hinc cito
Se se præcipiti proripiunt gradu
Celsis verticibus feræ,
Speluncasque petunt, lustraque inhospita.

II. Donum Sapientiæ.

Quæ liquidi astra super flammanti in luce refulgens
Numinis æterna, maxima, mente sedes,
Cui se se obscura sub nocte natantia pandunt
Nubila, cælesti, Diva age, ab axe veni,
Sola decus Mundi, Cæli, Sapientia, munus,
Et propius puro lumine, sancta, nite.
Tu mihi nunc animos Nerii sub pectore versa,
Flentis, amantis adhuc gaudia parta refer.
Namque ubi Dilectus, depulsis nubibus, hausit
Immortale tui luminis, alma, jubar,
Arcani en olli scisso velamine summi
En decora Artificis protinus alta patent.
Hæc mens, hæc inhians arcte complectitur ultro,
Atque Dei plene cogitat inde decus.
Linguæ hominum sileant, teneantque silentia cœtus
Angelici, tanta expromere nemo potest,
Quanta tuæ pelago lucis Sapientia monstras;
O Lux pervadens deliciis animam!
Ecce, Neri, tibi Numen adest, tua sola voluptas,
Tandem exoptato nunc requiesce sinu.

Ah

Ah! precor, ah! Nerio ne quis sua gaudia rumpat!
Cœlesti liceat lacte levare sitim.
Fortunate Neri! summi Regnator Olympi
Deliciis superum dat tibi posse frui.
Jamquē animi sensus mira dulcedine captus
Vix credit, Numen sentit inesse sibi.
Spiritus ille Dei tua per tota intima fusus
Corda tibi ætherio melle Philippe rigat.
Jamque voluptatis perfusus nectare diæ
Ultra nil animus quod sibi poscat, habet.
Quænam deliciæ, quæ tam divina voluptas?
Si licet expertæ dicite vos Animæ.
Fonte voluptatis non deficiente Philippus
Angustum spatium heu nimis! intus habet.
Quis credat sed vera tamen miracula Amoris?
Unda voluptatis crescit, & ampla magis
Facta anima est Nerio, fitque amplior, unda ubi crescit
Amplius, & sensim dulcius unda rigat.
Marmoreo lymphas surgentes aspice labro,
Surgentes nitido e fonte perennis aquæ:
Margine & exsuperans humor sitientibus herbis
Circum dat vitam, & floribus aridulis.
Haud aliter puri surgentes ætheris haustus,
Et sensus Nerii, & pectora adusta rigant.
Hac blande ludunt, hac læto flumine serpunt,
Hac fœcunda novis fontibus unda micat.
Fallor: fac crescat labrum crescentibus undis,
Augescente undas contineatque sinu.
Hæc erit, hæc animæ Nerii verissima imago;
Cresce Anima, ætherii crescite fontis aquæ.
At quis odor subito exhilarans suavissimus halat,
Undique cælesti dulcior ambrosia?
Totum corpus olens divinum spirat odorem.
Quod portentum hoc? quæ causa? quid intus erit?
Scilicet ætherias sumens Sapientia flammas,
Jucunde Nerii corda perusta replet:

In

In flammas large redolentia cinnama fundit,
Non quæ Panchæus, summus at axis habet.
In flammas large redolentia balsama miscet,
Non quæ Judæus, summus at axis habet.
Pectoris e flammis suffitus tollitur ille
Ignotus, qui hominis sensum animumque beat.
Fallor? an & dios concentus excipis alma
Mente, Neri, & Superum combibis harmoniam?
Nempe tibi id rerum præstat pulcherrimus ordo,
Quarum quæque suum sedula munus obit.
Cæli flammantes orbes, astra ignea, fulgor
Lampadis igniferæ, qua sola vasta nitent,
Omniparens tellus, pelagi liquida arva, profundæ
Convalles, colles, flumina, stagna, lacus,
Unanimi tibi voce, Neri, simul Omnipotentis
Immensas dotes, atque opera alta canunt.
Dulces o voces, nostris haud auribus aptæ!
Vos animo Nerius percipit. aut Nerius,
Cælestes cives, se se vos intulit inter,
Aut stabilis Nerii in pectore vestra mora est.

Conclusio.

Quid non aura potens, divini Numinis aura,
Cogis Amor, dulci simul ac præcordia flamma,
Exurens placida irroras dulcedine pectus,
Vimque tuam, qua mens se supra tollitur acta,
Inseris, & blando cor vulnere figis Amantis?
Tu cælestis Amor, divino nectare tinctis
Percussum telis, & flammis dulcibus ardens
Cor Nerii, sancto cæli succendis amore,
Humanæ assidua dum consulit arte saluti.
Ingenita veluti saxum gravitate quiescens
Perpetuo ad centrum conatur pergere nisu,
Si vero externo compellitur impete, eodem
Tempore diversos motus habet, inde duabus

Viribus hinc atque hinc trahitur; namque altera centrum
Optat, ad impressum sed dirigit altera motum.
Quod si, cum terris vitam mortalis agebas,
Mens tua limitibus, Neri, indignata teneri
Corporis, optabat quam primum erumpere vinclis
Irrequieta, suo ut conjungi posset Amori,
Et sitiens bibere ætherios dulcedinis haustus,
Ille tuus nostris se se ossibus implicet ignis,
Et dulcis nostras exurat flamma medullas.
Et quoniam vivens tristes expellere morbos
Voce tua poteras, Erebi quam regna timebant,
Tu Patre a nostro, precor o! a Principe nostro
Qualemcumque fuga morbum, terrisque relinque
Incolumem, dulci regat ut moderamine fidas
Pastor oves, illas & dulci gramine pascat;
Æternum & sero felix Tecum exigat ævum.

Anno 1763.



UTRUM

UTRUM

INGENIUM JUDICIO,

An Judicium Ingenio præstet

PRÆFATIO.

„ QUi velit ingenio cedere rarus erit. (*Mart.*) Tanta est ingenii præstantis æstimatio, & existimatio, tamque ardens in ejus affectatione cujusque φιλαυτία, ut nemo unus (de Litteratis Viris loquor, ac præcipue earum studiosis artium, quæ ab humanitate sibi nomen vindicant) ut nemo unus nolit ingenii laude vel per fucum eminere; quisque autem, aut fere quisque cæteras dotes facilius aliis, quam hanc laudem concedat, præpositurus, opinor, minima cum dubitatione hanc ingenii opinionem vel ipsius opinioni virtutis. Præposterum judicium hoc quorumdam magnorum, ut ipsi sibi videntur, & ut superstitiosi sibi persuadent illorum amatores, servum pecus, horum, inquam, magnorum admirandorum ingeniorum libris occulta peste conscriptis præposterum judicium hoc acceptum referre oportet; quorum Auctores cum acumen in excogitando, celeritatem in discurrendo, ubertatem in explicando ostentent, magnum doctrinæ, sapientiæque lumen præ se ferunt, quo legentium animos, tanquam oculos crebra ac subita fulgura, percellunt & obruunt, tum in summam opinionum perversitatem incautos ac leves facile pertrahunt. Nobis ne confutatione quidem digni videntur, qui ingenii gloriam avidius expetunt, quam virtutis. Sed contentione hac omnino prætermissa, quoniam tanti fieri ab unoquoque ingenium solet, tantumque sibi

vindicat admirationis, investigare libet inter ipsas animi vires ac facultates, ulla ne sit, quæ possit ingenii vi comparari, magis expeti, præstantior haberi. Nobis id quærentibus Judicium, quod ingenii speculum non inepte dixeris, veluti resultante proximæ chordæ sono, se se obtulit, quod in contentionem venire cum Ingenio de laude possit. Aliud enim nos Ingenium facimus, aliud Judicium, & aliud nobiscum facit quilibet, qui *sapit*, *& Jove judicat æquo*. (*Hor.*) Ingenio valere illum dicimus, qui celeri animi motu colligere plures rerum imagines potest, easque ex remotis, diversisque desumtas simul mira varietate colligare, similitudines in dissimilibus invenire. Pollere autem Judicio eum affirmamus, qui novit eas inter se conferre, aliam ab alia secernere, recteque ponderare discrimen, ne specie quadam affinitatis deceptus adulterinas pro genuinis accipiat. Tametsi virtus utraque in eodem litterato homine sæpe conjungitur, non minus tamen sæpe alterutra deficit, cum verissime proverbio circumferatur illud, *judicii plerumque egeni sunt, ingenio qui valent*; ut minime vana futura sit quæstio, Utrum in re Litteraria Ingenium judicio, an Judicium ingenio præstet. Præclare nobiscum agitur disputaturis apud vos, Aud. Litteratissimi; quos cum & mirificum ingenium exornet, & præstans judicium commendet, benevole libenterque audituros singuli speramus. Etsi enim pugnabimus inter nos, omnes tamen res vestras laudibus persequemur.

IN-

INGENIUM JUDICIO PRÆSTAT.

I. ORATIUNCULA.

Ingenium laudo ingenio præditus perexiguo; haud eos equidem imitatus Professores Artium, qui alias elevant depriimuntque, ut eo magis atque magis in cælum extollant suam, sed eorum potius secutus morem agricolarum, qui alienam messem sua abundantiorem, alienas vites suis fœcundiores arbitrantur, & omnino illos, qui ea faciunt pluris, ad quæ pervenire ipsi non possunt. In hac igitur ingenii, judiciique contentione illud quod mihi deest admiror, atque suspicio, hoc quamquam non multum arrogo, tamen tantum inesse video, ut sine invidia aliorum facultati quod suum est concedam, h.e. ingenium judicio anteponam. Quid enim potius, & aliter sentire quis audeat, si quanta sit humani ingenii vis paullo interius inspiciat? Hæc nimirum animi vis, quam ingenium dicimus, intima rerum penetralia rimatur, eruit ignota, nova excudit, mira ob oculos ponit, & veritatem in Democritico pluteo latentem aut nulla vis, aut illa una in apricum profert, quo dicendi, scribendive segetem & admirabilem novitate, & jucundissimam intelligentia rerum ignotarum subiiciat. Quin sententias ipsas vulgares, communes, & cuivis obvias ingenium ita vestit, eo adspectu decorat, ea imbuit nova forma, ut nostratia, pene dixerim, pro peregrinis habeantur. Quid sibi de hisce laudibus judicium vindicet, tu videris. Ego enim cum concessero facultatem, quam laudes, habere locum una cum ingenio in ratione ordinis, atque distributionis, ab hac laude inventionis prorsus exclusam intelligo, quam ingenium totam ducit suam. Immo hujus perspicacitati, at que-

que excogitationi referenda est omnium inventio Disciplinarum, & Artium, quarum qui Deos immortales inventores constituerunt, divinitatem quamdam ingenio inesse significarunt. Luserit per me licet poetica libertate Claudianus, inducens apud superos ridentem Jovem *in parvo cum cerneret æthera vitro*, dummodo admiretur eo mortalis curæ progressam potentiam, ut *inclusus variis famuletur spiritus astris, atque suum volvens audax industria mundum, audeat humana sidera mente regi*. Ex quo tu, velim, intelligas quanta sit humani ingenii præstantia, quod possit Cæli conditionem, opus divinorum maximum, sua machinatione imitari. Atqui remis adhuc mihi videor in freto navigare, cum plenissimis velis liceat in altum provehi. Hoc enimvero admirandum maxime est, & me quidem præ stupore prope attonitum reddit, quod ea, quam laudo, animi facultas rerum universitatem sibi subjectam habet, totam percurrit atque comprehendit, cumque infinita sit rerum varietas, immensumque discrimen, in dissimilibus similitudines deprehendit, longinqua consociat, & ad Orationem, Scriptionemve suam omnia vel diversissima, vel remotissima tanquam lineas ad centrum deducit. Est enim rerum in tota natura etsi tam multiplicium, tam disparium, & partim etiam tam contrariarum, tamen admirabilis in unum consensus, inter se concordia, concentus, proportio, & (ut græco utar vocabulo) ἀναλογία. Quocirca ingenium præstans comparationem detegit inter fulmen & hominem, inter scopulum & mulierem, inter Solem & rationem, inter undas & populum, ut eo modo placidis *coire immitia possint, serpentes avibus geminari, tigribus agni*. (*Hor.*) Nimirum quemadmodum plurima, eademque magna varietate distincta oculis uno tempore circumspicimus, & inde formis quasi per lineas ad feriendam videndi vim fluentibus

tibus omnium imagines simul haurimus, ita mentis oculi longe multumque liberius per omnem rerum diversitatem vagantur, quæque est in ipsis dissimilibus rebus convenientia colligatioque perspiciunt. Hac instructa mens supellectile similitudines colligit, amplificationes ducit, exempla desumit, digressus arripit, argumenta eruit, & translationes, ornamenta Scriptionis potissima mutuatur. Neque solum quæ sunt res secum comparatas in suum penum ingenium transfert, sed unius rei intuitus, tanquam percussus silex ignem, aliarum imaginum lumen repente excitat, atque ita objecta menti aliqua specie, eaque celeriter arrepta ingenium longe progreditur, & ab una ictu oculi pervolans ad aliam, infinitam prope rerum varietatem complectitur. Quid ex ea facultate mentis, quam judicium vocamus, amabo te, quid elicis, quod tam magnis, tamque amplis ingenii viribus opponas, atque adeo, ut contendis, anteponas? cum ea facultas nihil in excogitatione rerum abditarum, nihil in consociatione dissimilium deprehendenda, nihil in conjunctione remotarum cognoscenda valeat. Video quid dicturus sis, judicio rectore opus esse, ut lasciviens ingenium coerceatur, contineaturque intra fines, *quos ultra citraque nequit consistere rectum*. (*Hor.*) At quorsum tibi judicium, ingenio si careas? Vera a falsis dignoscas aliena cum legis, quid sit decorum in rebus, quid personæ cuique conveniat, quid in sensibus probandum, quid in verbis, ubi copia laudanda, ubi modus, probe noscas, cum tamen nihil in tuo thesauro suppetat, unde sententias rectas verasque depromas, & quod rebus, quod personis congruum est tribuas, videberis mihi ab illo οἰκονομικῆς peritissimo non absimilis, qui de re familiari optime disputat, quod autem administret, nihil habeat. Audio multos de imaginibus, deque signis non inepte loquentes, & ut vir-

tutes, ita & vitia recte dijudicantes, nequaquam tamen recte, immo ineptissime feceris, si hos, qui neque pictam, neque fictam, neque cælatam imaginem suo ex artificio, quod nullum habent, prodere valeant, ipsis Artificibus præferas. Nimirum tanti judicium est ingenio carenti, quanti putandi scientia colono arbores non habenti. Vela contrahere admoneor angustiis temporis, & cum amplissimum adhuc conficiendum spatium mihi pateat (occurrunt enim innumera ad dicendum) quoniam appellere ad portum non licet, necesse est ad litus divertere. Paucis finem facio. Judicium probo, vehementer probo; ingenium tamen naturæ viribus libere excurrens judicio certis legum præceptorumque cancellis circumscripto præopto, quemadmodum magis Homerum, ac Platonem in Poesi, & Eloquentia admiror, quam Aristotelem in suis utriusque Artis documentis, & ut malim Tullii Oratoriam facultatem, quam Fabii Oratorias institutiones referre.

JUDICIUM PRÆSTAT INGENIO.

II. Oratiuncula.

Utrum in Adversario, Adversario tamen amicissimo, admirer magis ingenium, quod initio statim sibi detractum voluit, an judicium, quod minime jactavit, sed paullulum sibi assumsit, anceps equidem hæreo. Si ad artem, ac prope dixerim calliditatem specto, qua levia argumentorum momenta, quasi gravissima, protulit, ut fucum faceret, judicium hercle non minimum, sed eximium agnosco. Si concinnatam rerum materiam, quasique centones fartos perpendo, ingenium quidem in inventione dicentis suspicio, in disputatione veritatem desidero. Vera sint quæ dixeris, admirabilem esse humani ingenii

genii vim, habere sibi subjectam totam rerum universitatem, artes omnes invenisse, cæteraque, quas ingenio tribuisti laudes, veræ sint: at non vere propterea collegisti, ingenium esse judicio præferendum. Nam ad artes quidem quod attinet, nisi judicium accessisset, quo ipsarum Auctores μέθοδον servarent, & ordinem, quid nobis utilitatis afferrent, qui posset non opprimi animus, non confundi memoria, non omnis denique fructus penitus tolli, cum rerum & partium distributione sublata, inutile atque caliginosum chaos tradidissent? Quo mihi trabes, asseres, cæmenta, rudus novum, calcem, arenam, ferrique copiam ad extruendam domum afferas, nisi Architectus suo quæque loco artificiose distribuat? Quare cum ingenio inventionis laudem dedero, judicio dispositionis, eam dedero, quæ ex una parte debetur materiem suppeditanti, ex altera materiem ad opus redigenti. Uter autem pluris faciendus sit in opere extruendo, nullum judicem volo, nisi te ipsum: juvat enim properare me ad illas ingenii admirandas vires, quibus subjecisti rerum universitatem, remotissimarum consociationem, similium in dissimilibus comprehensionem. Hic dum tibi videris, postquam in freto remis navigasti, plenissimis velis in altum provehi, hic enimvero in scopulum impegisti. Hæc est enim inter cæteras validissima ratio, quamobrem causam meam tua superiorem esse contendam. Hac enim tanta, atque adeo immensa celerrime per omnem naturam sine duce, at impetu suo vagandi libertate, omnia arripit animus sine discrimine, &, ut segetes fœcundæ & uberes, nisi coloni accedat industria, non solum fruges, verum herbas etiam effundunt inimicissimas frugibus, sic ille levia, aliena, non utilia, falsa, indecora, monstrosa carpit, nisi delectus magnus prudentia habeatur. Opus infinitum esset exempla vobis subiicere:

cere: sunt enim nimis multa, eadem tamen quia unicuique notissima, minime necessaria, omissaque omnium memoria temporum, satis est præteritæ ætatis recordari, ætatis feracissimæ ingeniorum, prorsus inopis judiciorum. Nimirum ingenium sibi relictum equus est cæcus & effrænatus, quem necesse est in præceps ruere, nisi moderatore regatur. Sedet in lucidissima mentis parte tanquam Rector, qui frænos adhibeat, Judicium, ne aut progrediaris ultra quam oporteat, aut ne ruas temere, ac præcipitanter in id quod fugere prorsus oporteat. Quamobrem re bona, sine præsidio nostro, male utaris, cum re nostra male uti ipsi nosmet ne possimus quidem, quippe unius judicii est rebus bene & convenienter uti. Adesdum mecum paucis, ut quantum in causa vincamus, sensim intelligas. Apta ad persuadendum dicere, (quoniam humanioribus præcipue studiis propositis ingressi sumus ad disputandum) præterire silentio, quæ aut nocent, aut minime juvant, quid locus, quid tempus, quid causa postulet, quæ sit Auditorum, quæ Adversariorum, quæ Judicum habenda ratio cognoscere (*non enim omnis fortuna*, ita me docet Magister summus M. Tullius, (*Or.* 71.) „ non omnis honos, non omnis auctoritas, non „ omnis ætas, nec vero locus, aut tempus, aut „ auditor omnis eodem aut verborum genere tra„ ctandus est, aut sententiarum, semperque in omni „ parte Orationis, ut vitæ, quid deceat, est consi„ derandum, quod & in re, de qua agitur, posi„ tum est, & in personis, & eorum qui dicunt, & „ eorum qui audiunt.) hæc præstare magna sapientia est; & hæc præstare omnia ejus, quam laudo, animi facultatis est. Quæ ab Oratore requiro, hæc a Poeta, hæc ab Historico, prout res tulerit, postulabo. Dic sodes, in his quam tibi ingeniosorum hominum Patrono partem vindices? Nonne petas

a no-

a nostris omnia? At & partes ipsas vestras recte explere, ut dicebam, sine ope nostra minime potestis. Judicii enim est ingenium regere, ne incompositis, incredibilibus, aut nimis longe petitis rerum formis adhærescat, ne in omni sententia acumen, in omni verbo translationem, aut hyperbolem quærat, sed ut ubique auream mediocritatem, naturam, convenientiam, veritatem, aut veritatis similitudinem consectetur. Dum enim impotens illa tua animi vis admirabilitatem semper affectat, plerumque incidit in falsitatem. Illud tamen, in quo sæpius peccant Clientes tui, est floridum & ornatum dicendi genus, qui boni specie decepti, non sentiunt quid sit satis, atque ita onerantes dictionem nimia copia, & concinnitate sententiarum, ubertateque verborum delectationem quærunt, satietatem afferunt; ut qui in convivio cibos non præbent nisi delicatos, atque dulcissimos. Clientes nostri admonebunt cum M. Tullio in omnibus rebus videndum esse quatenus: magis enim, offendere nimium, quam parum; in quo Apelles Pictores quoque eos peccare dicebat, qui non sentirent quid esset satis. Auscultandum est nostris, qui docent uti varietate, miscere obvias ac vulgares cum sententiis novis ac figuratis, verba communia cum immutatis, ut hac ratione distincta Oratio eum concentum gratissimum efficiat, quem in musicis acuta gravioribus temperata, modorum flexionibus & falsis voculis certæ severæque interruptæ. Deducent æqui homines eo vos, ubi sæpe versari magna cum voluptate soletis, unde poeticos spiritus sumitis, & plus æquo vobis indulgetis, in amœnissima viridaria traducent vos, ibique Custodis artificium patefacient, qui non omnem locum voluit esse floribus consitum, sed qua herbulis, qua pomis vel nostris vel peregrinis, qua plantis, qua sepibus, qua silvulis, qua rivulis, qua semitis, & anfractibus distin-

ſtinctum ; tum docebunt his ſimilia facere, appoſita dicendi ſegete, judicium. Sed nullum finem faciam, ſi perſequar ea, quæ noſtræ cauſæ ſint ſatis, & neceſſe erit dicere huic tempori longe plura quam ſatis. Ego vero, quia malo aliquid a me deſiderari a clientibus meis, quam Auditores, qui officii, & honoris cauſa huc convenerunt, delaſſari, Oratiunculæ finem pono Horatii auctoritate: *Scribendi recte, ſapere eſt & principium, & fons.*

I. Mente vigenti avia Pieridum peragro loca. *Lucr. l. 1.*

Pone & Cimmerio in ſpecu
Me, longas ubi nox duplicat horrida
Umbras multipatentium
Alarum piceo tegmine, nec Virûm
Ullæ jam ſpecies queant
Mi oblectare animum, nec rota lucidi
Cerni Solis; & inſuper
Mundanam ex oculis eripe machinam.
At mecum Sapientiæ
Fontem largifluum, & mentis amabilem
Theſaurum, nitidum fero
Præfulgens ſpeculum, quod ſimul in modum
Ardentis roto turbinis,
Quo me cumque loco clauſeris, ilicet
Siſtunt innumeræ mihi
Se rerum effigies: ilicet aureo
Certant lumine mergier.
Apparent virides tunc Heliconidum
Saltus, & ſacra flumina,
Pulchris quæ reſonant lene ſub arbutis.
Tunc pendentia de cavis
Specto hic pumicibus cymbala, tibias,
Hic plectra, hic teneras fides.
Dircæus faber incude adamantina

In-

Inſtat dicere nobiles
Hymnos, & ſolidæ flammea gloria
Hæſura in latere invido
Demittit lacubus tela perennibus.
Hic hic dulce canentium
Cycnorum ad ſtrepitum lilia candida,
Et mixtas violis roſas
Natæ Mnemoſynes ungue avido legunt,
Texentes venerabili
Heroum capiti ſerta micantia.
At ſi mellis Hymetii
Interdum ſatias me tenet, & mea
Anguſtis avet e locis
Ferri mens alio; quaque Aquila ocyor
Multo, & velivola rate,
Dorſo in pegaſeo templa per ætheris
Terrarum peragro ſola,
Campoſque undiſonos, regnaque, & inſulas.
Quæ tum quantaque proh mei
Fructus ingenii, gaudia colligo!
Clauſus prata virentia,
Clauſus nectareas fontium origines,
Colleſque, & nemora avia
Proſpecto, alituum frondiferas domos.
Rident ante oculos mihi
Picti purpureis floribus hortuli,
Et circum nivei obſtrepunt
Blanditim Zephyri, & gutture lugubri
Mœſtum Daulias eliquat,
Dira abſumpti Ityli fata gemens, melos.
Hoc antro aſtriferum polum
Mi fingo, hoc roſeum mundi oculum, hoc tuos
Arcus, nuncia candidæ
Junonis variis Iri coloribus.
Ah! quid, quid mage fervido
Mentis flore hominis dulcius eſt datum?

Quid

Quid si haud prætrepidans meum
Fatorum tacitis condam adytis caput?
Ultra ne vaga tende, ne
Fias omnituens, mens mea, Jupiter;

II. Risus, tenuissimus ingenii fructus.
Cic. or. 2. n. 247.

Ingeniosus homo vult Gargilianus haberi.
Expuit hinc lepidos, ut putat, ore jocos.
In buccam quidquid seges apta jocis, modo risum
Excitet, & vitium carpit, & ingenuos
Securus mores, ipsis neque parcit amicis,
Mordax pro vitiis sæpe homines lacerat.
Deficit apta seges? nugas, gerasque sicdnas
Ructat, queis risum non movet, at stomachum.
Ut risum moveat, gestus, vocemque imitatur
Mimorum. haud placeas, Gargiliane, tibi.
Dicuntur lepidos generare Venusque, Leposque:
Non Venus, atque Lepos, simia te genuit.

I. Pictoribus, atque Poetis quidlibet audendi semper fuit æqua potestas. *Hor. A. P.*

Patria Terra vale; tota est mihi Patria Tellus:
Vilis Terra mihi est: pulchrior Orbis adest.
Incolere Orbem alium Phœbus dat lumine mentis
Ætherio; intus vis ignea pectus agit.
Pectus agit, pingitque nova sub imagine Mundum,
Quin & natura nobile vincit opus.
Quis novus hic subito rerum mihi nascitur ordo?
Errat & ante oculos quæ nova scena meos?
Aspice splendidius cælum, distinctius astris,
Æquora vasta magis, & mage Terra patens,
Pomorum, florumque ferax optantibus offert,
Uberiusque solum, floridiusque nemus.

Fors

Formosa est oculis depicto germine tellus,
Cum ver puniceo Chloridos e gremio
Extollit caput, & circum plaudentibus alis
Nascentes frondes frigidula aura quatit.
Formosa est oculis & cum ver proterit æstas,
Lenæusque placet, cum colit arva, Pater.
At natura suos alterno tempore constans
Educit fructus: hæc mihi lenta fluunt.
Phœbe Pater, tardos aliis tu confice cursus,
Et grata alternis tempora da vicibus.
Post varios orbes nivei stellantia Tauri,
Narcisso, & multa cornua cinge rosa.
Post varios orbes Nemeæi intexe Leonis
Spicis horrendas colla per hirta jubas.
Nil moror, æternis rident mihi floribus arva,
Æternisque simul frugibus arva nitent.
Post alias, alias quas totus parturit annus,
Totas cogo uno tempore divitias:
Quin rapida ignivomus pertingat Apollo quadriga,
Qua micat aurato vellere in axe pecus,
Qua gemini lucent cælestia sidera fratres,
Libra diem nocti qua facit æqua parem;
Ceu cum Parrhasia depingens arte tabellas,
Unius ipse potens viribus ingenii,
Quæ totum natura dedit spectanda per orbem,
Et quæ non uno tempore terra parit,
Montesque & colles, & fontes pingit & amnes,
Undique & omnigenas quas habet hortus opes.
Provida non omnis tellus fert omnia; certis
Quæque suis tribuit munera certa locis.
Atticus haud redolens profudit Hymettus amomum;
Nunquam mellis ager fertilis Assyrius.
Ast ubi mi sedes, omnis fert omnia Tellus;
Omnia fert Vati hæc Terra beata mihi.
Jam licet & molles jactent sua thura Sabæi,
Et Panchæa licet cinnama Terra ferat.

Me cogente dabunt sentæ sata florida silvæ,
Mella dabunt quercus, flumina lacte fluent.
Vate jubente atri ponent fera nubila venti,
Pellet & undivagas blandior aura rates.
Quis novus attonitas sonitus mihi perculit aures?
Eheu quam sævo murmure silva fremit!
Ite, jubet Vates, rabidi procul ite Leones,
Et quæcumque tenent horrida lustra feræ.
Jucundis posthac resonet concentibus æther,
Hic lætæ segetes, hic nova crescat humus.
Respice, nativam posuere horrentia formam,
Gratanturque novum jam sibi lustra decus.
Silva tacet, cessere feræ, tremulis modo pennis
Argutis Zephyrus lusitat in foliis.
Insoliti surgunt colles, & roscida circum
Depicta insolito flore superbit humus.
Jam mea sectantur virides vestigia cedri,
Grataque odoratis decidit umbra comis:
Quacumque ingredior, micat illico lucidulus fons
Garrulus, & sacris oscula dat pedibus.
Audin'? arguti geminant suavissima Cycni
Carmina, & alterna dulce loquuntur aves;
Meque suum Regem mellita voce salutant,
Scilicet hæc uni subdita regna mihi.
Gemmatos alii cingant diademate crines,
Altaque subjectis jura ferant populis.
Hæc tu regna tuo donasti maxima Vati;
Hæc serva afflatu tu mihi, Phœbe, tuo.
Hic regnator ego populos, terrasque jacentes
Calcabo, atque animo sceptra minora mea.

II. Bul-

II. Bullatis ne mihi nugis pagina turgescat.
Pers. sat. 5.

Ergo ego nil didici? nil me Hermogenis, Venusini,
Divinique Stagyritæ, nil Quinctiliani
Præceptis studuisse juvat, studuisse tot annos?
Aut nihil, aut modicum. nam cur compescere venas
Ingenii rapidas, certis vincire catenis,
Quem natura rapit veloci fervida cursu
Per terras, tractusque maris, cælumque profundum
Expatiari ipsa sola duce, lege solutum?
Mira mihi narrasque nova. Et nova miraque pangit,
Quem trahit ingenii sublimis gloria, Vates.
Cedo exempla mihi, docilis mira & nova discam.
Sit tibi longinquas Heros ducendus in oras.
Cantatos hortos, cantata palatia cernat,
Insolitasque plagas, monstrosas cernat & Urbes.
Illic nascantur voce, & ratione potentes
Quadrupedes, homines sed terram pectore verrant.
Gens colat hic omnis digito non altior, illic
Immanes homines Cælo capita alta ferentes,
Quantus Eryx aut quantus Athos, aut ipse nivali
Vertice se attollens pater arduus Apenninus:
Dein regio surgat Phœbæo tosta calore;
At glacie adstricti fontes sint, arva pruinis:
Hic modo cernantur præstanti corpore Nymphæ
Concinere, & quercus Nympharum ad plectra choreas
Ducere; nunc subito Nymphæ cum quercubus una
Mutatæ in corvos, milvosque per æthera ferri,
Inque angues subito mutatæ serpere terræ.
Tum finges sonitu fremituque dehiscere terras,
Et vomere horrendos Genios, Manesque coruscis
Armatos facibus, Centauros inde bimembres,
Centipedesque feras complere ululatibus auras,
Et manibus gestare caput Lamiasque Magosque,

Cæsum quosque suis. Primos me reddis ad annos:
Monstra mihi hæc puero nutrix narrare solebat.
Si canis heroum rutilantia versibus arma,
Tum sic assurges. auratam ceperat hastam,
Hastam bellatores flictu provolventem,
Cantatumque ensem, qui ferrum, marmor, & aurum,
Ferratosque humeros cataphractorumque lacertos
Transadigit; tum altam galeam, clypeumque nitentem,
Cujus in obtutu victæ cecidere puellæ,
Termodontææ victæ cecidere puellæ.
Dein suris ocreas posuit, cornuque recurvo
Tartaream intendit vocem: gemit excita tellus,
Diffugiunt omnes horrendo murmure passim,
Exiliitque suis specubus celer horrifica altum
Voce boans Leo; spelæis, cryptisque tremiscit
Serpens, & quercus tremuerunt montibus altæ.
Mira quidem hæc, ridenda tamen deliria mentis.
Carmine vin' pulchrum blando describere fontem?
Sic aude: gratum nemorosa in valle susurrans
Fons erat; in ripis edunt miracula plantæ:
Non frondes profert, at serica stamina pinus,
Miraturque suis foliis pendere rubentes
Fasciolas cornus; collucet populus auro,
Chrysolitho exsuperat buxus, cerasusque smaragdis;
Gemmas dat taxus, rutilantes myrrha pyropos,
Et viridi pendet corylo gangetica bacca.
Hercle hæc ora foret nostris sat grata puellis.
Propter aquæ ripam viridi procumbit in herba
Delphinus, per prata salit gens muta natantum;
At subter lympham pullus, gallina, palumbes
Saltitat; aurea rostra ollis, argentei & ungues.
Intus sternuntur tonsis mantilia villis,
Atque super mensas epulæ, cyathique frequentes,
Accumbunt equites, pueri, juvenesque puellæ,
Lychni & pendentes lucent laquearibus aureis.
Hæc Dæmon faciat, mihi nil cum Dæmone. Sed me

Per

Per superas oras divina insania raptat.
Ausculta; incipio. Saltu pulcherrimus heros
Aligerum conscendit equum, illum & calce fatigat.
Hic se sustulerat rapidus stridentibus alis,
Astra petit, spatiatur per cava lumina Lunæ.
Obturatarum series hic ampullarum;
Intus mens hominum deperdita clausa tenetur.
Nempe etiam hic ampulla tua est: nam quantula restat
Pars tibi judicii? res prodigialiter ornas,
Et vanas species, velut ægri somnia fingis.
Dii dent olfacere ampullam tibi, judiciumque
Naribus haurire: at mihi sano in corpore mentem.

Dialogus in rem propositam, inter Pyrinum, & Criterum.

P. *Rara avis ingenium: non ætas amplius illa est,*
Qua dexter placido nascentes lumine Phœbus
Viderat, & Pallas cupidis exceperat ulnis,
Qui nido audebant agiles extendere pennas,
Magnaque & alta sequi, qui liberiore volatu
Sublimes rapti cælo capita alta ferebant.
Ah periere homines! ex quo cecidere magistri
E cælo rigidi, queis est laus cernere acutum,
Et trutina librare nova, quæ parturit ingens
Ingenium: jacet hoc servili compede vinctum, &
Reptat humi, deflens, quas nuper perdidit, alas.
C. *Quid quereris veluti nostros inimica Minerva*
Oderit, & tellus nunc reddat nil nisi fungos,
Nil nisi buccones, & bardos? tolle querelas;
Egregiis etenim florent cultoribus artes.
Acto ego ne invideam sæclo? circumspice qualis
Nunc seges alta virum maturo vertice nutat,
Et quales spondet fructus seges altera in herba.
Norunt quin nostri quid distent æra lupinis.
P. *Quis nunc alarum sciat, ovorumque figuram*

Versibus exprimere? aut gemina de parte bipennem,
Aut altare Deum, aut teretes imitetur avenas?
C. *Quæ mihi succinis ova, bipennem, altaria, avenas?*
P. *Illi, queis pueris pappam inseruere Camœnæ*
(Inseruere olim) hæc ostentavere stupenti
Orbi, hæc portenta ingenii. Tibi nota figura
Ovi est: nimirum divina poemata tali
Ordine disposito norant inscribere, ut ovi
Obiicerent oculis veram putamque figuram.
C. *Nunc memini factum id Leda pariente; at in auras*
Luminis ut similis venit cum Castore Pollux,
Rupto ovo periere ovata hæc carmina, opinor.
P. *Ovatum tibi forte caput, qui talia rides.*
An parvi pendas tenui deducere filo
Carmen, ut exhibeat quam dant Altaria formam?
C. *Agnovi; Herculeo de stipite Troilus ille*
Tale habuit levi conscriptum carmen in urna;
Dente vorax ætas carmenque comesit, & urnam.
Exinde has struere aras dedidicere Poetæ.
P. *Ut lubet irride,* (C.) *periit celebrata bipennis,*
Magnus ubi ad Trojæ muros fabricator Epeus
Instar montis equum construxit; desiit ille;
Ex hoc ista latet Xanthi, aut Simoentis in unda.
P. *Cornicaris: sed quid corniceris in Ala?*
C. *Hæc quoque desiit, irrisa est cornicula postquam*
Furtivis nudata coloribus. (P.) *illa tulissent*
Fata utinam divini carmina Triphiodori!
C. *Mi loqueris lapides.* (P.) *discrimina Ulyssis, & omne*
Scripsit iter totidem libris, quot scripsit Homerus.
Littera quemquem librum signat, sed littera ab illo
Quæ deest: sic primum notat Alpha, *ita* Beta *secundum.*
Nullum habet Alpha *liber primus, nec* Beta *secundus*
C. *A luce ut lucus quia luce caret, sic & mons*
Quo caret a motu. proh fatum triste, malignum
Tantum sivit opus tenebris involvier ævi!
Jam vilis piperi, scombrisque daretur Homerus.

P. *Ter-*

P. *Terra malos homines nunc educat, atque pusillos.*
Unum non produnt hæc sæcula Triphiodorum.
C. *Portenta ingenii & nunc quæ admiremur, habemus.*
Sunt qui mille Acrostica, mille Anagrammata scribant,
Ingressuque pares versus, pariterque cadentes:
Cætera de genere hoc certam referentia palmam.
P. *Hoc quoque non parvum est eadem convertere mille*
Verba modis, varioque eadem disponere sensu.
Dignum laude sua ignotam reperisse fodinam,
Unde novas semper possis educere gazas,
Et ditare novis solertia opuscula gemmis.
C. *At pro thesauris rudis, indigestaque sæpe*
Materies foditur, lusus nec sæpe placebunt
Verborum. Sic fac vertas anagrammate corpus.
Fiet spurcum animal. (P.) *videt hac, prævisaque vitat*
Ingenium. (C.) *mirum! hæc priscis ignota Poetis.*
Prisca Leoninos nec versus extulit ætas:
Nempe hac arte nova juvenes cecinere Camœnæ
P. *Falleris; at nostris Veteres exempla dedere.*
„ *Carbasa velatarum obvertimus antennarum.*
„ *Vir precor uxori, frater succurre sorori,*
„ *Et, tibi factorum pœnas instare tuorum.*
Hæc Italos similes casus docuere Poetas.
C. *Mutem cum Thersite caput, si lusibus illis,*
Verborumque sono studuit quidquam Maro, & ullus
Judicio huic similis; produxit talia casus.
In claustrum at fugiens non casu protulit ille.
„ *Linquo coax ranis, cras corvis, vanaque vanis.*
P. *Mel hoc hyblæum est, sapidum sal. ingeniorum.*
Portenta ostendere olim translata, figuræque.
Attamen Antithesis magis inter schemata lucet,
Ut picta in tabula propter lux eminet umbram,
Ut placet in cantu concors discordia vocum.
C. *Hoc valuit Pedius: doctus posuisse figuras,*
Ridiculus Pedius librabat crimina rasis
Semper in antithetis. (P.) *quid Hyperbola? denotat illud*

Nonne lacertosi prægrandia membra Cyclopis?
„ *Tum vero arrepto fremebundus vertice montis*
„ *Longo ictu Cyclops in navim jecit Ulyssis;*
„ *Horrida concussi vibrarunt sibila venti;*
„ *Interea capreæ pascebant gramina Saxi.*
C *Credam si ante Cyclops dudum capreas docuit se*
Pondere quamque suo librare per aera. (P.) *crede hoc,*
„ *Illa vel intactæ segetis per summa volaret*
„ *Gramina, nec teneras cursu læsisset aristas.*
„ *Vel mare per medium fluctu suspensa tumenti*
„ *Ferret iter, celeres nec tingeret æquore plantas.*
C. *Hæc bona verba: haud ingenium, verum intimus ille*
Sensus agit, qui multiplici phantasmate fervet:
Credam aut Mercurium alas concessisse Camillæ.
P. *Proh quantum translata placent! ut; brachia longo,*
„ *Margine terrarum porrexerat Amphitrite.*
„ *Aut; Costam longo subduximus Apennino.*
C. *Costam? ergo vel homo, vel bellua hic Apenninus.*
P. „ *Jupiter hybernas cana nive conspuit Alpes.*
C. *Ergo immensa Jovis fuerit satis alba saliva.*
Inscriptum anne placet, legitur quod carmen in Aula?
„ *Tela Giganteos debellatura furores?*
P. *Dant marem & ista sonum, sed cedro dignius illud;*
„ *Gallorum Regi structurus ad astra Colossos*
Sudet in ære focus. „ *quæ præmia rettulit Auctor!*
C. *Omnia jam fient, fieri quæ posse negabam.*
Si sit in igne humor; quid ni flammas dabit unda?
P. *Et dabit, ingenium si jusserit: ampla potestas.*
C. *Quandoquidem tanti tibi sunt traslata saporis,*
Et subtile dedit cerebrum natura, feraxque,
Da specimen. (P.) *verbum propone.* (C.) columba coruscis
Irradians pennis. (P.) *animatam dixeris Irim.*
C. Iris. (P.) *ridentis Cæli lacrymæ.* (C.) *euge Poeta.*
Formosæ lacrymas *si quis proponat Amicæ?*
P. *Fluminis argentum liquidum est, vel gemmeus imber,*
Aut ros. (C.) & ros *matutino in gramine?* (P.) *sudor*
Au-

Auroræ. (C.) nebulæ? (P.) *dic turgida lintea navis*
Hujus mundanæ. (C.) *finge* tonitrua; *quid tum?*
P. *Cardine stridenti versatur janua Olympi*.
Vel: prægrandia provolvuntur Dolia Cœli.
C. Fulmina? (P.) *sunt totidem ictus Cœlestis Catapultæ*.
C. Motu *Terra tremit*. (P.) *paralytica concutit artus*.
C. Pectus *amans*. (P.) *flammis bullit torrentibus Ætna*.
C. *Ingenium felix! at quid* Rosa? (P.) *Veris ocellus*:
Vel, pupilla Cupidinis, aut dic; Chloridos almæ
Dulce fragrans Cyathus; Venerisve infecta cruore
Purpura pratorum. (C.) *qui cauda* Pavo *superbit?*
P. *Pratum plumarum, confixa at sidera plumis*.
C. Lusciniæ? (P.) *sine cannis organa*. (C.) *Et* organa?
(P.) *nudæ*
Lusciniæ pennis. (C.) *quid* nix? (P.) *discussa farina*
Ex alto; Alpini vel frigida lilia montis;
Vel mage si placeat .... (C.) *placet hoc sat*. Lilia, *fodes*;
P. *Illa: nives animatæ hortorum*. (C). *ridiculum pol!*
Sidera (P.) *aperta Argi Cœlestis lumina: sive*
Ferales faculæ succensæ in funere Solis,
Lucidave ætherei convexa foramina cribri.
C. *Ingenium laudo, Latio donas Italum illud*,
Del celeste crivel bucchi lucenti.
P. *Sed me percellit Phœbus*. (C.) *nil amplius opto*.
P. *Impos mentis agor*. (C.) *credo hercle* (P.) *nascitur infans*:
Fasciolas puero Junonia purpuret Iris.
C. *Pulchre, nil melius; sed ego nil amplius opto*.
P. *Pomifero exsuget charitum de pectore nectar*.
C. *Hoc quoque bellum est, dulce est; sed nil amplius opto*.
P. *Verque genas niveas, minioque & floribus ornet*.
C. *Hoc satis est, inquam, satis est; nihil amplius opto*.
P. *Ad cunas cytharam pulsans cantillet Apollo*.
C. *Anne loquor surdo? heus, heus, Pyrine, desine nugas*.
P. *Aeris & pestem puero, flatusque nocentes*
Arceat Arcitenens telis Cythereia proles.
C. *Maja Nate, aut fuste hunc, aut compesce catena*.

Decisio.

Si quidpiam est, in quod apte & congruenter Horatianum illud cadere videatur, *Alterius altera poscit opem res, & conjurat amice*, præsens profecto negotium est, in quo ingenium cum judicio, judicium cum ingenio in contentionem vocavimus, cum & illud sine hujus regimine nisi præcipitiis possit insistere, & hoc sine illo inane sit, ac nullius prope utilitatis. Verumtamen quia id est rem incertam incertiorem facere, cum meæ partes sint illæ, ut aliquid in argumento proposito definiam, vos Auditores ornatiss. de opinione mea minime celabo. Miseror equidem viros præstantissimo ingenio præditos, qui sine certo duce, naturali tantum impetu se rapi sinunt, quamobrem in errores & decumanos quidem abripiantur: eos autem emunctæ naris homines, qui aliena recte dignoscunt, conari similia minime possunt, tanti facio, quanti eos, qui in transfretando mari tempestatum, ventorum, prædonum, locorum rationem ad revehendas tuto merces callent, ad coemendas nihil habent. Quare cum ingenium a natura omnino sit, judicium fere ab arte, cumque natura corrigi ab arte possit, ars, quod naturale non habet, afferre non possit, ingenium equidem judicio præoptaverim. De quæstione proposita habetis quid sentiam. Postremum superest, ut, quoniam nulla habita ratione incommodi hujusce temporis conatus qualescumque nostros ornaturi huc frequentes convenistis, tanta humanitate tenuitatem nostram sublevastis, referamus gratias pro beneficio vestro singulari. At quanta ubertate ingenii opus est, ut huic explendo muneri satisfaciamus? ea certe quam nobis deesse ingenue fatemur. quod si ad id nobis esset ingenii satis, prudenter tamen ex-

expendendum esset, qua id foret ratione præstandum. Cum enim merita vestra sine vestris laudibus commemorari non possint, laudes autem abhorreat modestia vestra, ac tua potissimum P. E. cui nullum acroama ingratius, longe aliter atque Græco illi Themistocli, accidere potest, quam quo virtutes tuæ prædicentur, præ nobis ingenium sine judicio ferremus. Ne igitur in eo, quod reprehendimus, deprehendamur, conticescimus.

An. 1757. Mense Aug.



UTRUM

UTRUM HOMINI MAGIS

USUI SENSUS SIT, AN INTELLIGENTIA.

PRÆFATIO.

ADmirandum ſpectaculum Natura univerſa, tum forma Cæli innumerabilibus undique ornata ſideribus, immutabili ſpatio, mirabilique celeritate ab Ortu ad Occaſum, & viciſſim commeantibus, & in infimo orbe radiis Solis accenſa Luna, ejuſque aunuos curſus ſpatiis menſtruis confecuta, accretione, & diminutione luminis quaſi faſtorum notans, ſignificanſque dies, ipſe autem obtinens ſubter mediam fere planetarum regionem Sol, Dux, & Princeps, & moderator luminum reliquorum, tanta magnitudine, ut cuncta ſua luce luſtret, & compleat; tum locata in media Mundi ſede undique ipſa in ſe ſe nutibus ſuis conglobata Terra, mater omnium, obducta fructibus, veſtita floribus, herbis, arboribus, diſtincta vallibus, montibuſque, hæc omnia, & quæ prætermitto infinita, cum unius Hominis ſint cauſa facta, ſatis oſtendunt Hominem eſſe natum ad contemplandum. Cum vero in rerum natura conſtantium, omnium mehercule admirandarum infinita ſerie, atque copia, Hominis natura longe ſuperet univerſas, atque adeo eximias ſingularum dotes complectatur, omnium nobiliſſima eſt ipſius Hominis contemplatio, atque cognitio. Una humani corporis fabricatio, figura, perfectio, & aptiſſima partium coagmentatio miraculum quoddam eſt, & Sapientiæ opus; quod cum eximie Anatomici laudent, non ſatis pro dignitate laudant, nec laudare poſſunt.

Quid Animus? qui viget, qui sentit, qui meminit, qui prævidet, & moderatur, movetque id corpus, cui præpositus est, a Mente Divina profectus cum alio nullo, nisi cum ipso Deo, immensa quidem dissimilitudine, cum similitudine tamen aliqua (si hoc quoque fas est dictu) comparari potest. At cum res modo natura similes conjungi possint, consociarique, portento simile est hæc animi, corporisque rerum ita dissimilium, ut nihil magis, in unum arctissima consociatio. Quamquam est quod admirer magis. Ea est agendi vis hominis ex corpore animoque compositi; vis, inquam, duplex, sentiens, & intelligens. Eo delapsus dicendo sum, quo præsens tota spectat disceptatio. In corpore insunt sentiendi instrumenta, per quæ objectis præsentibus, sensus in capite tanquam in arce mirifice ad usus necessarios facti collocatique proprio singuli funguntur munere. Iis regendis insidet in animo Intelligentia, sive mens, cui tota hominis natura paret, & cui totius hominis regnum a natura tributum est; ita tamen ut & mente sensus, & sensu vicissim, mens ad humanos usus prorsus indigeat. Nihilo tamen secius, quia non una eademque est ista sentiendi, intelligendique facultas, sed quanto differunt inter se corpus, animusque tanto inter se discrepant sensus, & ratio, placet in præsens disquirere, utrum Homini magis usui sit Sensus, an Intelligentia. Digna visa est eruditis auribus vestris Aud. ornatiss. disputatio, digna Illustriss. ac Reverendiss. Antistes, tua sapientia, tuo judicio, tuis auspiciis, cujus præsentia tametsi jamdudum Musæ nostræ honestantur, honoranturque tamen nunc primum in Te uno & spe, & ratione studiorum nostrorum posita, auspiciis nunc vere tuis consecrantur.

USUI

USUI MAGIS

HOMINI SENSUS EST,

QUAM INTELLIGENTIA.

I. Oratiuncula.

Præjudicata causa video me in arenam descendere, jussum apud Viros intelligentiæ laude præstantissimos Sensui præ Intelligentia primas tribuere; atque adeo tanquam desperata causa initio statim de re tota concederem, nisi ea me recrearet cogitatio, quod seposita utriusque nobilitate, neque in contentionem vocata actionum utrinque dignitate, ii præfiniti sunt, constitutique disputationis limites, ut in humanis usibus ac ministeriis tota versetur contentio. Id si agimus (neque vero aliud agimus) scilicet qui recte intelligunt, in eadem mecum spero sententia futuros, quanto mens sensui sublimitate præstat, tanto menti sensum commoditate antecellere, ac propterea hunc magis Homini, quam illam usui esse. Nam, ut illud omittam, a primis annis donatum esse Hominem sentiendi facultate, cognoscendi prohibitum, etsi arctissima inter utramque societas est, ut, si hominem quærimus, & non aut belluam, aut spiritum utrimque sejunctum, altera separari ab altera nequaquam possit, tamen multa video posse confici per sensum sine intelligentia, per intelligentiam autem sine sensu perfici posse nihil video. Non te latet, opinor sensuum duplex esse genus, externorum, & internorum, qui ita in suis obeundis partibus sunt conjuncti, ut nullo modo agere divisim possint: & externi quidem dati homini sunt, quædam quasi viæ ad introducenda interius

obje-

objecta, quibus arreptis, sine ulla mentis ope, communis sensus (quippe omnes hic unus complectitur) una & cum oculis videt, & cum auribus audit, & cum naribus odoratur, & cum reliquis id genus sensibus, quod singulorum proprium est, percipit. Ecquid adjumenti amabo te, ad id affert intelligentia? prorsus nihil: quippe & videre, & olfacere, & audire, & gustare, & tangere, munia necessaria propriaque sunt animantis, nullo, ut cuique facile patet, mentis exercita interventu. Ex motionibus autem singulorum sensuum ad arcem cerebri progredientibus oritur isthæc internorum sensuum perceptio, motionibus nimirum illis ab uno tantummodo rerum objectu per intervallum aptum deducto, excitatis. Planius, si libet, disputemus. Ignoras (quamquam tu quidem minime ignoras) fac tamen te ignorare unde sit, ut cibus, potusque alius dulcedinem contineat, alius amaritiem: tibi non constat, qui vapores, & unde graveolentiam, aut suavitatem odorum afferant; sonorum discrimina ex varia aeris commotione fieri non cognoscis, nec radiorum ferientium oculos naturam assequeris: mentis ista cognitio, non sensus est. Num propterea minus tibi sensus dulce, & amarum indicat, minus odorum fœditatem, aut jucunditatem distinguit, minus per multiplices aurium flexus, acutos, graves, tristes hilaresve sonos insinuat, minus aerem cum lucidum tum tenebricosum, minus sua simul rebus singulis inhærentia pigmenra tibi ad oculos sensus adducit? Quotus quisque est qui noverit, quæ in pulsu sensuum fiant nervorum, cerebrique affectiones; quid insit in rebus idoneum ad impellendos sensus, qua methodo, via, ratione, species per interpositum spatium ad sensus perveniant? & tamen nemo unus est, cujus sensus præsentibus rebus non pro habitu suo afficiantur, eo plane modo, quo Artifices instrumenta ad

id,

id, quod intendunt aptiſsima ſine errore conficiunt, tametſi neque inſtrumentorum vim, neque in conficiendi ratione cauſam agnoſcunt. Neque putes me adhuc cum munia ſenſuum perſequor, ratione intelligentiaque ſilente, purum putumque αὐτόματον deſcripſiſſe. Nam res varias pro ſenſuum varietate ipſis ſubjectas communis ſenſus per ſe diſtinguit, cognoſcitque & ſi mens ſuum habet theſaurum memoriæ ad retinenda, quæ intelligentia comprehendit, ſi a notis ad ſimilia colligenda progreſſum facit, & ignota prius deprehendit, tum vero de quaque re judicium fert, non caret ſuo memoriæ theſauro illa, quæ a Græcis dicitur φαντασία, ad receptas ſpecies cuſtodiendas, ab illiſque deſumit, unde imagines ſimiles efficiat, immo & novas pariat; ut cum palatia cryſtallina, lacteos fontes, montes aureos, & id genus, quæ nuſquam gentium invenire liceat, ſibi repræſentat, conſociatis in unum imaginibus illarum rerum, quas antea ſeorſim arripuerat; ac tandem ſi abutar vocabulo, re non abutar, ſuam judicandi, ſive æſtimandi quid ſit aptum ſibi, quid non, communis ſenſus habet facultatem. Fertur enim ſecundum judicium hoc quodcumque in ſenſu natura collocavit, ad ea, quæ ſibi congruunt, refugitque contraria. Audiſti ex me pauca illa quidem ob anguſtias temporis, ex immenſis quæ dici poſſunt, ea tamen ſatis ad probandum ſenſum ſæpiſsime apte ſuas partes ſine ope mentis explere. Audire velim ex te, quid agat, aut agere poſsit ſine ope ſenſus Intelligentia; equidem de homine loquor: non hominem quæris, at ſpiritum vacantem corpore, ſi quæras illum, cujus actiones in una intelligendi vi contineantur. Si de homine tu quoque diſſeris, perneceſſarii omnino ſunt cognoſcentes ſenſus, qui in cerebro ſedem habent, ut gignantur rerum imagines, & ut Græci dicunt φαντάσματα quorum mini-

ministerio mens in rerum cognitionem deveniat, quibus remotis, nihil prorsus intelligas. Enitere quantum vis, ut a sensibus mentem sevoces; quo magis sevocabis, eo minus poteris id, quod volueris, mente comprehendere. Tritum est illud, *nihil in intellectu quin prius fuerit in sensu*; & verissime affirmat ille inter Oratores Philosophus egregius, inter Philosophos Orator præstantissimus M. Tullius, nullam speciem cogitari posse, nisi pulsu imaginum. Quid ni? Scitum est animum hominis infundi in corpus ceu nudam ac lævigatam tabulam, in qua nihil insculptum, nihil depictum sit: tum vero progressu temporis aliis atque aliis rerum notionibus imbui ratione hac una, ut exteriores sensus rerum species obiiciant, objectas φαντασία excipiat, exceptæ se in φαντάσματα induant, tandem una cum istis animus contempletur, & ratiocinatione ad alia cognoscenda, & rursus alia ductu imaginum progrediatur. Sic & per sensus res discas oportet, & si libeat quæ didiceris aliis communicare, per sensus, quæ cogitaveris, & collegeris, oportet effundas. Equidem quoties totis viribus enitor in materiam sine ulla specie, & carentem omni sensili qualitate mentem intendere, ubi insistam non invenio: hæreo suspensus, incertus, vagus, tanquam in aere volitans ac nusquam insidens avis, ac tandem cogor in caliginosum chaos delapsam mentem omnium ignaram, ac tantum non suimet ipsius nesciam relinquere. Quid tu? intelligis ne, aut intelligendas subiicies carentes corpore res, ut Virtutes, Deos, Deasque & ejusmodi alia, nisi ad φαντασίαν confugias, qua vel hominis, vel aliarum rerum formas tibi effingas? formas, inquam, magis ad id necessarias, quam aut aquas, aut nubeculas, ut earum ope oculorum aciem in Solem intendas. Quod si in id incurras, cujus imaginem, per hunc, de quo loquimur, intimum

sen-

sensum efficere tibi nullam possis, cujusmodi est, *æternitas*, nihil prorsus poteris intelligentia complecti, aut si φαντασίας sedes læsa sit amentia, vel perturbata phrenesi, vel somno occupata, doce me (scire enim aveo) quid possit Ratio, mens, intelligentia perficere. Vivida sit, libera, experrecta φαν-τασία oportet, & ad efficiendas rerum formas apta atque expedita, ut ad munia sua intelligendi facultas promptissima sit. Quid apertius afferam ad evincendum sine sensu Rationem nihil agere, cum hæc ab illo ita pendeat, ut agendi vel facultatem, vel impedimentum ab eodem prorsus accipiat? Video quid objecturus sis. Sensus esse fallaces. Paucis me expediam: Exhausta enim, ad me quod attinet, clepsydra est, & aliis oportet locum dicendi facere. Patere admoneri te erroris, qui incautos passim & incuriosos invasit; sensuum fallax esse judicium. Omnis error a mente est, a sensu nequaquam est. Sensus enim quoties integer est, & objecta sensus apto sunt loco posita, nec ullum in interjecto necessario spatio impedimentum intervenit, semper uno eodemque modo fungitur officio suo, neque unquam in errorem inducit. Mentis est cognoscere sensilis ὀργανῳ (oportet enim uti græco vocabulo) qualitatem, objecti affectionem, spatii mensuram; in quibus examinandis si mens improvide occupatur, ipsa decipitur. Jam modo tibi per me patet ad dicendum locus. In intelligentia contra sensum laudanda jacta te quantum vis: cave tamen ne, quemadmodum illi, facias, qui, ut Terentius ait, faciunt intelligendo, ut nihil intelligant.

INTELLIGENTIA MAGIS

QUAM SENSUS USUI HOMINI EST.

II. Oratiuncula.

Si præjudicata causa sensuum iste laudator, quem modo audistis, veritus est ne in arenam descenderet, ego quoque ad præjudicatam causam me accedere probe intelligo: hoc tamen discrimine, quod illum præjudicium vestrum NN. deterrere debuerat, quibus datum est non minimum supra belluas sapere, quas propemodum Adversarius visus est hominibus anteferre, aut saltem comparare, cum sensum menti præferret: me vero præjudicium vestrum excitare maxime, & confirmare debet, quibus minime Oratione mea opus est, ut ipsi vobis persuadeatis, magis, immo longe magis quam sensum, usui Homini esse Intelligentiam. Illud potius vereor, cum aggrediar sententiam jam ante hominum communi judicio probatam probare, ne videar rem certam dubiam facere defendendi sollicitudine. Quocirca confutabo potius, quæ magno conatu, & minimo eventu protulisti argumenta, ad infirmandam sententiam tuam, quam nova afferam ad confirmandam meam. Animadverti duo potissimum fuisse momenta Orationis tuæ, Sensum agere sine Intelligentia multa posse, Intelligentiam sine sensu nihil posse. Obeunt, inquis, sua munia sæpe sensus sine Intelligentia. Ita sane: at ad animantia bruta illum abiicis, cui in muneribus obeundis mentem excludis. Lingua certe maxime præstamus feris, qua colloquimur inter nos, & sensa dicendo exprimimus: at si tibi sermonem conferenti non mens tanquam dux adsit, non illa argumenta suppeditet, non si-

militudines subiiciat, quæ res demonstrent, & sententias illustrent, te inter & psittacum quid intererit? Quid mihi oculi vel ad legendum, vel ad spectandum obcæcata intelligendi vi? Homo sopita ratione, mea sententia, a talpa non differt, quæ habet oculos, & minime videt. Quoties evenit, ut animo in alicujus rei contemplatione defixo præsentia corpora non videantur, nec voces audiantur, nec impulsus sentiantur? quotidiana experientia notius id est, quam ut necesse sit Trismegistum, Socratem, Platonem, Archimedem testes appellare. Quid mihi garris pulchri adspectu lætari oculos tuos, cantibus aures oblectari, cæterosque sensus jucundis rebus gaudere, tristari adversis? Non sensuum judicium hoc est, verum mentis, quæ motiones sensuum promptissime secuta iis se se immiscet, in iisque primas agit: quod quia celerrime fit, non facile deprehenditur, sed cognosces facile, si animadverteris & pictura, & sonis (idem dictum sit de cæteris) alios magis, alios minus delectari, prout magis, vel minus eas artes intelligunt. Mens itaque sensuum fons est, & facultatem habet, vel ipsa potius facultas est rerum formas excipiendi, & effingendi, ut verissime dixerit Tullius, nos non oculis cernere ea, quæ videmus: neque enim ullum sensum in corpore, sed vias quasi quasdam ad oculos, ad aures, ad nares a sede animi perforatas. Itaque sæpe aut cogitatione, aut aliqua vi morbi impediti apertis atque integris & oculis, & auribus nec videmus, nec audimus; ut facile intelligi possit, animum & videre, & audire, non eas partes, quæ quasi fenestræ sunt animi. Neque vero quidquam moveor tuo illo communi sensu, cui tantum defers, ut unus omnium sensuum vice fungatur, varietatemque objectorum pro varietate sensuum distinguat: quamtumvis ille polleat, ullumne collocabit

bit supra belluam, nisi Intelligendi facultas accedat? Non inficior lumen quoddam insidere cerebro, quod apte cum Græcis vocas φαντασίαν: at illud ex se, & per se, remoto mentis lumine, quanti putas? Equidem tanti, quanti ad excitandum incendium inertes, & in aere discurrentes ignes, qui fatui ab ipsa sua imbecillitate appellantur. Opitulatum veniat mens necesse est, ac tanquam faces accendat, ne interius visum imaginibus illusum in errorem inducat. Igitur de brutis animantibus loqueris, dum contendis sine intelligentiæ adjumento sensus agere. At in homine & præsidet sensibus, & sensuum affectiones, actionesque omnes dirigit Ratio. In præceps enim ferrentur sensus, si ipsi sui duces essent, & non Ratio domina iis regendis assideret. Jam quod ais humanam mentem sine ministerio sensuum nihil exequi, in re verissima (pace tua dixerim) disputas ineptissime. Quid enim conficeres affirmando Artifices nullum opus confecturos sine instrumentis artium singularum propriis, sine calamo virum litteratum non scribere, sine gladio non decertare militem? an calamum, gladiumque calamo, gladioque utentibus præferas? Ego vero cum sensibus instrumentorum partem concessero, Menti artificis, & agentis laudem reservabo. Congrediamur cominus: quantum isthuc est adjumenti, quod Rationi sensus suppeditat? Non potest quidem Intelligentia vim suam exerere, suam facultatem exercere, quin phantasmata excitatum veniant. Verum excitant illa, & nihil amplius, tantumque conferunt ad actus mentis, quantum ad incendium silvæ excusa silicis scintilla. Descendit, ut ita dicam, ab alta sede parvi hujus mundi, quem Hominem dicunt, Regina mens, resque corporeas per formas attingit, vixque contactis illis, non secus atque lusoria pila, vi in terram trusa, assurgit illico ad aliarum rerum, at-

que aliarum longe dissimillimarum contemplationem. Neque enim illa quidquam altum, ac sublime cognosceret, si alligata formis adhæreret. Non est igitur quod in sensibus magnopere commendes, quasi sint intelligendi efficientes causæ, cum ad intelligendum viam tantummodo muniant. Ad φαντασίαν confugit mens, inquis, ut res vacantes corpore intelligat. Hic enimvero imprudens prolapsus es. Non vides hac ratione menti te primas tribuere? Unde enim hujusmodi species affiguntur rebus materia destitutis, nisi a mente? Mens igitur species parit, alias cum aliis conjungit, itaque tanquam causa effectum φαντασίαν secum consociatam pertrahit, & cum hac socia corpus rebus vacantibus corpore tribuit, ac statim spoliat res easdem indumentis non suis, eumque errorem emendat: quippe relinquens imagines ad alia sensibus minime subjecta ratione progreditur, quemadmodum conjectis oculis in pictas Heroum tabulas mens imagines prætergressa ad præclara illorum antiqua facta transcendit, quæ nostris sensibus nunquam subjecta fuerunt: & cum in illis ipsis tabulis nihil aliud oculi spectent, nisi colorem, mens aptam, vel ineptam oris, manuum, totiusque corporis conformationem cognoscit, atque potest ex cognitione operis Pictorem ipsum longissime vel loco, vel tempore absentem deprehendere. Mens igitur in cognoscendo a sensu non pendet, sed ipsum sensum ipsamet sæpe excitat, sociumque sibi adsciscit, non tanquam adjutorem, sed quodammodo asseclam, quasique testem. Quamquam quid asseclam, quid testem dico, quem vix dum socium adscivit, dicto citius dimittit; ut pila jacta, quod antea dicebam, terram deserit in aerem se citissime attollens, & silva correpta flammis silicem, quo excitata scintilla fuerat, obliviscitur. Nimirum illa per sensus quasi per fenestras rerum admonita eri-

gitur

gitur ipsa per se, & in se perspicit naturam rerum & ordinem, ipsa sibi artem, methodum, & principia ponit, quibus res nobilissimas, easque occultas sensibus intelligit, itaque occultas, ut infinito quodam spatio illi & istæ inter se distent, nullo unquam modo istæ illis consociandæ. Quid cum mens ab iis ipsis rebus, quas sensus objecerat, ita digreditur, ut speculandi exitus longe ab alio, quam a quo exorta illa fuerat, fluxisse videatur? Appello te. Unquam ne tibi contigit, ut dicentem aliquem audiens a re proposita alio mente avolares, &, ut qui lepores venatum se conferunt, aliquando non quæsitas feras inveniunt, sic tu alia atque alia ad rem præsentem minime facientia cogitatione progrediendo comprehenderes? quoties legenti evenit, ut incursu unius verbi lux mentis vastissimum sibi aperiat campum, ad excurrendum, videndasque res innumeras, ab illo tenui principio quam maxime alienas? Et ita mentem a sensu pendere contendas, ut illa sine isto intelligere nihil valeat, ex quo concludas majorem Homini sensus usum esse, quam Intelligentiæ? Ut vere dicam, tacita cum indignatione te tamdiu secutus sum humi serpentem. Erige animum tuum, & cognosce te; scito te natum esse ad cognoscendas res, ad agendum secundum rationem, ad judicandum de rebus, non ut occurrunt sensibus, sed ut natura constant, ut intima rerum introspicias, ad secernendum a falso verum, ad contemplandum rerum Opificem, & res divinas investigandas. Id est hominem esse; id est secundum hominem agere; neque sensuum istiusmodi actus sunt, sed unius Rationis. Peregrinam certe doctrinam facturus finem dicendi nobis obtrudisti, non sensuum fallax esse judicium. Adesdum, amabo te; ipse enim subjecisti, quo te convincam. Nimirum quia sensus lædi potest, & ab interpositi spatii adjunctis

pendet, mens autem sola veritate movetur, qua tenebris occultata, aut sua luce progreditur, si discuti tenebræ possunt, aut subsistit suspenso judicio, si minus possunt. Hæc scilicet ratio est, cur in judicando sensus fallatur, intelligentia non fallatur. Probe intelligo me ad rem non dixisse satis, ad tempus tamen, & ad propositum confutandi satis, ad Auditorum acumen, & perspicientiam plus quam satis. Quamquam ne te quidem arbitror ita judicii inopem, ut ex animi tui sententia disputaveris, sed mihi unus visus es ex illis, qui, cum versipelles, & callidissimi sint, inepti & fatui partes in scena lepidissime agunt.

I. Valetudini perniciosa mentis occupatio.

Exigua inclusus cella, omni teste remoto,
Perpetuo unus, rerum abdita mente agitans,
Ingenium torquet Fronto; impallescere chartis
Delicias unas dum facit esse suas.
Enectus macie totus, vix ossibus hæret
Dura cutis, stat pro ventre locus, tenuis
Nasus & oblongus, diductusque oris hiatus;
Arida labra velut glutine juncta scabris
Dentibus, interius depressi luminis orbes:
Occupat hirsutas concava fossa genas.
Quid te, Fronto, necas? meditandi tanta libido est?
Te excæca; fies illico Democritus.

II. In Garrulos.

Semper ego auditor tantum, nunquamque repono,
Aut raro. docuit natura haud esse loquacem,
Cum mihi linguam unam tribuit, binas dedit aures.
Defectus Phœbi varios, Lunæque labores,
Qui tremere, & concussa queat discedere Tellus

Sub

Sub pedibus, latam quid concitet Amphitritem,
Aut gravidis largos demittat nubibus imbres,
Philosophus narrat? porrectis auribus adsto.
At quam corrupto est hominum pars magna cerebro!
Ad potum calidæ jam Sole cadente tabernam
Ingredior: Dii triste mihi depellite fatum.
Gerris oppressus blateronum spiritus alget:
Innitor tacitus cubito ad tabulam; unus & Aulus
Inter præsentes rem miram, sic putat ipse,
Enarrat. Qualis stabulet mihi nostis, opinor,
Pulcher equus, cervice micans, prævertere ventos
Cursu aptus; nunc nescio quo morbo mihi languet
Invalidus, mala quæ mea sors, nil cura, quiesque,
Emissusve cruor juvit, medicata nec ulla
Potio; quique vorax fuerat, nunc respuit omnes
Quæsitas escas: atqui affluit omnibus; ervi
Bis septem modios, totidemque zeæ ante paravi,
Sex lecti farris, siliquarum quinque medimnos:
Hordei acervus, fœnum, triticum, avena, legumen,
Multaque de genere hoc frustra seposta supersunt.
Hæc sed ego paucis refero, quæ plurima dixit
Garrulus, insulsus, blatero, importunus, ineptus.
Fabula equi necdum finita; absorbuit horam
Postquam causa gravis morbi, ratioque medendi,
Aulus nostra inter rabiosa silentia pergit,
Emerit unde, & cur, narrare, diemque, locumque,
Quo pretio, quot testibus, & qua conditione,
Quid siluit? Natalitiumque fideliter ille
Narrat equi; Cæli quæ pars emersit ab ortu
Et quo conspiceres nascentem Horoscope vultu.
Ipse fremo interea tacitus, frontisque fluentem
Sudorem sicco. Natales Aulus equinos,
Quo genitore satum, qua matre, & nomina avorum,
Non secus atque initurus prælium Homericus heros,
Atque decus sobolis censet longo ordine equinæ.
Garrula si est Mulier, patior; laudare puelli

Risus, purpureasque genas, flavosque capillos
Matri impune licet, balbasque in gutture voces.
Tænia, vel strophium multas docet esse disertas,
Multum etiam vocis poscit sibi fimbria pallæ,
Et speculum, & crinis: nam lingua volubilis illis
Acrior aut agitat nervos linguæ atque meatus
Nescio quis succus, fibra aut subtilior istis
Mobiliorque est, quam maribus; vel lingua torosum
Quid muliebris habet; vel certe incognita virtus
Est capiti, venisque calet ferventior ignis,
Et subito & citius moveantur ut organa vocis.
Tanta quis ferat Aulum garrulitate potentem?
Hæc ego dum mecum, interea dat inania verba,
Datque alios sine mente sonos: sartago loquendi
In buccas hæc unde venit? certe arbitror ambas
Fluxisse in linguam Aulo aures. subducere conor
Nugarum nimbis me, verborumque procellis.
Ille manu arripiens, remane, dulcissime, mecum,
Hic mihi discumbas propior; te diligo: tum mi
Detrectare nefas: sedeo; sub pectore bilis
At mihi turgescit. rursus sic incipit ille:
Ad citharæ sonitum hesterna dum nocte Fabullus
Occinit, hunc pleno rutilans Latonia cornu
Delassat, tunditque caput. contra accidit Iro,
Dum noctem vino madidus traduxit eamdem
Insomnis, rauca hunc tussis, capitisque gravedo
Occupat. Helvidii plantis male calceus hærens
Confregit digitos; hinc pustula turget, & acer
In cor subrepit dolor. hujus furfuris addit
Plurima, nec modus est: lassus cito proripio me;
Inque salutatum linquo. quo pergis abire?
Urbanus parum homo esse videris. at urgeor ire:
Vive, vale. Oro, mane: non possum, vive, Dii dent
Quantum verborum est tibi, tantumdem esse cerebri.

I. Ob-

I. Objecta Sensuum, pabulum jucundissimum.

Qua libem patera Deis
Qui jucunda Homini tot dederunt bona,
Et mi tam proprie frui?
Est vis, qua teneris molliculi thori
Fultus gaudeo plumulis,
Riparumque adeo strata virentia
Spisso in gramine sentio,
Et capto Zephyri mitia frigora.
Est vis, qua mea judicat
Blandum de omnigenis lingua saporibus,
Nec diam ambrosiam Patri,
Aut succos liquidi nectaris invidet.
Qualis copia narium!
Fragrans qualis odor delicias facit!
O thura! o bona dulcium
Tellus Arabiæ mater aromatum!
O vox blanda, suaviter
Pertentans animos! o teneræ alites,
Arguto date gutture
Cantus. vestram avidis auribus haurio
Optatam harmoniam libens.
O si Threiciæ me citharæ fides,
Aut vocalia mulceant
Plectra, aut suaviloquæ flamina tibiæ!
At vos quid mage juverit
Ardentes oculi? num viridantia
Pratorum æquora longius
Porrecta? an roseis floribus hortuli?
Aut gemmantia vallium
Cæli rorifero nectare gramina,
Turritis an in Urbibus
Templa augusta Deum, & pulchra palatia,
Quæ

Quæ circum undique cernitis
Late conspicuum tollere verticem?
Quantum (Jupiter!) aurea
Spargit scena jubar! tollite, tollite
Aulæum. Lapis indicus
Quam multus rutilat! o variis decens
Aurum vestibus illitum!
Fulgor quantus inest! nil tamen æthere
Sudo pulchrius aspici,
Nil majus roseo lumine Apollinis
Spectari queat, igneum
Sive os æquoreis exerat e vadis
Fulva conspicuus coma,
Sive ille Hesperio in litore fulgidas
Passim mille coloribus
Inducat species. Cernitis ilicet
Ut molli hæ fugiunt pede?
Ut surgunt rutilo corpore sidera,
Totumque irradiant polum,
Et Terræ patulas dulce fluentibus
Humectant radiis plagas?
Et Te, Diva potens, cerno ego lucidis
Phœbe argentea cornibus;
Te, Saturne Pater. cedite luridæ
Jam curæ: rigat ebrium
Me fons lætitiæ. Jupiter, obrue
Lethæo mala gurgite, &
Adde æterna meis tempora gaudiis.

II. Mundus, menti Speculum.

O qui flammantis radiata volumina cæli,
Stellarumque ignes conspicis & numeros;
Lactea quem Divum delectant limina, & alte
Fulgida conspicuo Luna nitore trahit;

Lam-

Lampadaque in magni usque aciem protendere solis
Errantique orbes prospicere axe juvat;
Cui mundi surgit sublimi splendida luxu
Machina, & altisoni regna opulenta maris;
Fontesque atque lacus, qua leniter unda susurrans
Labitur arguto læta per arva pede;
Quem tangunt gelidis inductæ vallibus umbræ,
Dulcis ubi irriguis frondibus aura cadit;
Halanti & mulcent ridentes palmite flores,
Stellatos pingit queis sibi terra sinus,
Huc ades, ipse animo mecum majora revolvens;
Sublimes quando sunt tibi mentis opes.
Cedite jam sensus errorum in nocte natantes;
Suffusa en veri mens mea luce nitet.
Jam cerno: magno miscens se corpore molem
Spiritus æternis viribus intus alit.
Hoc quodcumque vago metiris lumine, id omne
Templum est, mens implet lumine dia suo.
Illa jubet: priscæ intereunt expertia formæ
Gratanturque novum semina sparsa decus.
Si mihi stirpe novæ incipiunt succrescere pinus,
Ramus & incultam multus opacat humum,
Cecropia aut volucris si parvis sedula natis
Stramineas mira construit arte domos,
Sive Apis halantes mellito nectare cellas
Obstruit, & flavum dædala fingit opus;
Si mare, si terras, si lucida sidera lustro
Convalles, montes, flumina, stagna, lacus,
Structurasque operum, & discretas ordine moles
Queis mundi late machina vasta viget,
Impavidis animus rapiens liquidum aera pennis
Artificis sanctos procidit ante pedes.
Subjecto qualis speculo se prodit imago,
Aut fontis puro sol micat e latice,
Illum se talem spatioso prodere in Orbe,
Et regere æterna mens mea cernit ope.

Cum

Cum vernis gemmant perfusæ roribus herbæ,
Chloris & afflatu molliter arva rigat,
Et dulcis Zephyri genitabilis aura susurrat,
Et fundit picta Ver nova serta manu,
En Divina mihi tua se pulcherrima forma,
Explicat, atque Opifex, Oris imago tui.
Horrida rugitu flagrans Leo terga retorquet?
Educta æstivis solibus alma caput
Attollit, lætis ridens fœcunda colonis,
Partiturque lubens spicea dona Ceres?
Aspicio; Diæ se magna potentia Mentis
Obiicit, atque animo mi mage clara micat.
Currite, nutanti Autumnus vos vertice Nymphæ
Allicit, en pleno mitia poma sinu
Eiicit, en dulces pendent e vitibus uvæ,
Aurea maturis frugibus arva nitent;
Currite: at æterni interea Clementia vultus
Divitiis Ruris se mihi prodit amans.
Atque ora, atque oculos pervolventi omnia circum
Enitet æthereus pulchrior inde decor,
Non ego fallaci perstringor imagine; dias
Hinc formas, dias mens sibi quærit opes.
Subjectas species namque impigra transvolat, & quæ
Effugiunt sensus, illico læta capit.
Pulcher uti vitreas Narcissus fontis ad undas
Olim cum picto luderet ore puer,
Non puerum tenuis percussit imago, sed imo
Contemplata novum mens sua fonte decus.
Imbelles alios cithara, & solatia cantus,
Cinnamaque atque epuli splendida pompa juvent;
Mentis ego puro spectabo lumine mundum:
Hic mihi jucundus sat Liber unus erit.

Dia-

Dialogus inter Poetam, & Philosophum.

P. *Fallor? an arma sonant? non fallimur, arma sonabant.*
Ph. *Falleris, hic nulla arma sonant, nulla arma sonabant.*
P. *En tuba terribili sonitu* taratantara *dixit.*
Ph. *Nil minus: hic agimus tranquilla silentia* (P.) *ferrum*
Ferte citi; namque arma sonant, litui, æraque sævum
Obstrepuere, crepant rauco cava tympana pulsu;
Mars venit; ardentes oculos, ensemque micantem
Aspicio, & clypeum, & rorantes sanguine currus.
Ph. *Huic læsa & commota homini sunt organa sensus.*
Non audita audire putat, non visa videre.
P. *En mihi jam paries subita vertigine circum*
Volvitur, en multæ passim fulsere lucernæ.
Ph. *Atqui fontis aquam dat Vatibus Hippocrene.*
Fumosusque rotat cerebrum vertigine Bacchus.
P. *Patria terra vale; date vela, impellite remos*
Torquentes sub aqua: sed præstat ponere remos;
Aspice, sponte sua terræque urbesque recedunt.
Ph. *Navigat Anticyram caput insanabile, rerum*
Ignarus terras decedere credit, & urbes,
Et validos liquidis remos curvarier undis.
P. *Æthere purpureo auratis invecta quadrigis*
En Venus, en junctæ niveo candore palumbes,
Quæ, veluti pictis distincta coloribus Iris,
Mille trahunt varios collo gemmante smaragdos.
Ph. *Proteus es: tot te in facies, tot vertis in ora.*
P. *Versor ego in Pindo. an dulcis me insania ludit?*
Ph. *Præcipitem, haud dubito, te e mente insania turbat.*
P. *Haud equidem, ut credis, deliro, sed mihi consto.*
Egregius namque & fœcunda mente Poeta
Ludit imaginibus, dulcique abreptus ab œstro
Evolat, ut patulas præpes volat ales in auras.
Sic vivit nullo periturus tempore vates.
Ph. *Sensibus illusus turbaris inanibus umbris.*

Te

Te quoque Fata manent. (P.) *nulla ratione probabis.*
Ph. *In promptu sexcenta mihi argumenta* (P.) *fer unum.*
Ph. *Frustra est; non mente assequeris.*
(P.) *fare, euge sophista.*
Ph. *Fabor: Philosophi abscedant: advertito Vates.*
Vesceris altibusque, & pisce, & carne ferina,
Hæc alimenta, quibus pro dulci vesceris esca,
Mortua sunt; alimenta ferunt sed mortua mortem,
Ergo immortali nequaquam tempore vives.
P. *Ast ego, & ambrosia immortali, & nectare vescor,*
Quod mihi cratere aurato dat pulcher Apollo,
Ergo & ego æternis cum Diis sæcla omnia vivam.
Ph. *At nec Di sunt æterni.* (P.) *miracula narras!*
Ph. *Hoc prolo. Quodcumque æternum tu dixeris, omni*
Principio caret. (P.) *hoc equidem do* (Ph.) *quod caret omni*
Principio est infinitum, (P.) *non ista negabo:*
Ph. *Quodque infinitum est certa haud statione locatur;*
P. *Perge age.* (Ph.) *quod nulla certa statione locatur,*
Non est omnino. (P.) *his ambagibus ergo quid infers?*
Ph. *Quod tu ais æternum, omnino non esse.* (P.) *quid ergo?*
Ph. *Ergo cum Di sint, æternos esse negandum est.*
P. *Tu laqueos tendis frustra: mihi sentio molles*
Jam nunc a tergo tractim succrescere plumas,
Paullatimque humeris geminas assurgere in alas:
Longius en collum fit, cruribus aspera pellis
Nascitur en albus toto sum corpore Cycnus.
Ph. *O præstans vere ac cælo demissa Poesis,*
Quæ nos ex hominnm facie (mirabile dictu,)
Induit in vultus, pennataque terga volucrum!
P. *Quo me pernices rapiunt per inania pennæ?*
Quo feror & ventis, & fulminis ocyor alis?
Ph. *At nos Philosophi gradimur testudinis instar.*
P. *Nempe humi uti quadrupes serpis tu, ego subvolo ut ales.*
Ph. *Quid si te motu lento testudinis instar*
Tardigradæ ferri doceam? P. *qui quæso, docebis?*
Ph. *Tu Cycnus levibus pennis cava nubila tranas;*
Sed

Sed Cycnus motu, & testudo fertur eodem,
Ergo tardigradæ ritu testudinis ibis.
P. *Juro per lauros victricis præmia frontis,*
Perque arcum, poterit nec Apollo probare minorem.
Ph. *per crepidas juro, per barbam Philosophorum,*
Id, quod Apollo probare nequit tuus, ipse probabo.
P. *Macte esto virtute; & eris mihi major Apollo.*
Ph. *Ex individuis punctis tempus, spatiumque*
Constat, quod notum est. Sed puncto temporis uno
Non nisi punctum unum spatii percurritur; ergo
Æquali motu velox volat aere cycnus,
Progrediturque solo testudo cum pede tardo.
P. *Nugæ hæ sunt. ego præpetibus per nubila pennis*
Ante Notum, Zephyrumque volo, terrasque jacentes
Linquo, lucentemque polum & vaga sidera tango.
Ph. *Tu quoniam hinc pennis ablatus sidera tangis,*
Quam sunt magna? (P.) *velut nux.*
(Ph.) *quam sunt lucida?* (P.) *uti fax.*
Ph. *Hercle & Aristotele es tu doctior, atque Platone.*
Anne etiam Lunam cum Cæli sidera adires,
Vidisti propius? (P.) *Lunam quoque in æthere vidi.*
Ph. *Eja age de Luna quid sit, pauca ordine narra.*
P. *Est Dea stellatis tacita quæ in nocte quadrigis*
Æthereis fertur spatiis, peploque refulget
Sideribus rutilis picto, capitisque corusco
Vertice bina gerit curvatæ cornua lucis;
Hinc jubar auratum Terris, radiique rubentes
Mittuntur, noctem obscuram qui lumine vincunt.
Ph. *Quæ te sopitum, sodes, mala somnia ludunt?*
Hæccine Luna est, umbrosa quam nocte videmus?
Eja age, quid sit ego expediam, tu mente repone.
Luna, ut Pythagoræ magno visum, altera terra est,
Quam circum, late in gyrum spirabilis aer
Funditur, immensisque mare undique fluctibus ambit.
In Luna & montes summi, vallesque profundæ,
Et silvæ, & plantæ virides, & florea prata,

Et

Et pecudes passim errantes, pictæque volucres,
Atque homines, alto qui cælum vertice pulsant,
Qui geminis possunt metiri passibus omnem
Circuitu Lunam: tam vasta mole moventur.
P. *Anne venis modo tu e Luna, qui talia narras?*
Ph. *Quin de Sole ipso.*
(P.) *en! quid id est? Cælum, aspice, Cælum:*
En geminum Solem, & duplices se ostendere Thebas
Cerno! (Ph.) *novi ego me Patavi nunc esse, nec unas*
Thebas aspicio; innumeros quamquam æthere Soles
Hac, illac radiis video splendere coruscis:
Quin etiam ipsa die nox clarior æthere lucet.
P. *Alma dies, rutilis cælo ridente quadrigis*
Vecta jubar cui circum oculos, nitidissima & ora
Volvitur immortale micans, roseisque capilli
Texuntur radiis, it vesti tortilis aurea
Splendor, præfulgensque coruscat sub pedibus Sol,
Tene igitur sic lucentem nox lumine vincet,
Nox, quam caligo, pallescentesque tenebræ,
Atque horror circumvolitat, erebique profundis
Faucibus egressæ pennis nigricantibus umbræ?
Ph. *Sed vel sic obscura diem nox lumine vincit.*
Namque dies ideo clara est, quia Sole nitescit;
Atqui, ut Cartesii fertur sententia magni,
Quæ Cælo immenso resplendent sidera noctu,
Sunt totidem Soles; constant nam primi Elementi
Particulis, ut Sol; ergo cum sidera vasto
Innumera eniteant Cælo, innumeri quoque lucent
Una Soles nocte: die nox clarior ergo est.
P. *Eheu, quot mihi, nunc excæcant lumina Soles!*
Heu nimium æstuo! cuncta mihi calor ossa perurit:
Ah Phaeton, Phaeton! rutilis sic ignibus ipse
Urebare olim, tonitru, flammaque trisulca
In præceps Phœbi ignivomo dejectus ab axe.
Ph. *O quam vana Poetarum, quam mobilis est mens!*
Stare loco nescit, nunc huc, nunc devolat illuc,

Si-

Sicut aquæ tremulum labris ubi lumen ahenis
Sole repercussum sursum salit atque deorsum,
Parietibusque celer dextra, lævaque coruscat.
P. *Sed quid ego hic moror?* (Ph.) *audaci quo tendere cursu*
Nunc properas? (P.) *Cæli præter convexa volare*
Mens gestit, Mundus quo pulchrior enitet alter.
Ph. *At mundum hunc extra nihil est, quo pergere possis.*
P. *Pegaseo en residens dorso super æthera tollor.*
Ph. *Ito bonis avibus cognatæ ad concava Lunæ.*

Decisio.

Etsi ut Anima Corpusque, ita mens atque sensus duæ sunt Hominis partes inter se longe dissimiles, ac porro diversæ, & illa quidem pro sua dignitate instar spiritus agit, quæcumque agit, iste vero se gerit demissius, belluæ ritu, suæ scilicet naturæ congruenter, tamen nec omnino naturam corporis consequuntur sensuum actus, nec omnino mentis actus naturam spiritus, sed ex utraque dissimili parte simul ducto agendi principio, & ex sensu humilitatem quamdam contrahit agens Intelligentia, & Sensus agens quamdam ex Intelligentia nobilitatem. Quæ cum ita sint, quoniam non partium dignitas, verum usus in contentionem venit, nec vero actio animi ab actione corporis, nec actio corporis ab actione animi sejugata esse ullo modo potest, fidenter pronuntio, ad usum Hominis quod attinet, hasce tam diversas partes esse pares: quippe sejunctæ utriusque partis operationes aut spiritus sunt, aut corporis sunt, hominis nequaquam sunt, dum tamen meminerimus alterius esse partis obtemperare, alterius vero imperio regere, ut parvus iste mundus, quem Hominem dicunt, parendi rite, & recte imperandi concordia rectissime gubernetur. Hæc scilicet inter subjectos ac dominantes conspiratio, atque consensus communes res

omnes arctissime continet, feliciſſime gerit, & ſecretis malis cumulatam bonorum complexionem inducit, id eſt quantam Homini habere licet, beatitatem. Felicitas hæc, quoniam iſthuc Oratio ſua ſponte procurrit, tenui iſti Reipublicæ noſtræ hoc maxime tempore obvenit, cui regendæ cum ſcientiſſimi quidem ſemper præfuerint, tamen ſine invidia, & ſine adulandi ſuſpicione affirmare poſſumus, quod omnes intelligunt & fatentur, Te Præſul Ampliſſime, bonos Superos ſingulari noſtro bono conceſſiſſe. Nos igitur, quoniam nunc primum licuit in hoc tuo gradu Tecum publice loqui, damus ipſi noſmet ac dicamus ad nutum obtemperaturos tibi, Teque colemus, atque venerabimur, tanquam omnium noſtrum mentem, rationem, intelligentiam.

An. 1759. menſ. Aug.



DE

AD

SANCTEM VERONESIUM

EPISCOPUM PATAVINUM

Sacri Theologorum Collegii nomine

GRATULATIO.

QUi alibi Gentium publice sæpe dixi, in Patria nondum manifeste dixi, perpetuo etiam in posterum per me quoad licuisset, silentio usurus, nunc demum sapientissimorum Patrum consensu, ac voluntate primum jubeor dicere; gratulandi causa pro more institutoque Majorum Tibi; Illustrifs. ac Rev. Antistes, susceptam Patavinæ Ecclesiæ administrationem, objectis mihi rerum miris eventibus, ac prorsus novis, tanto majora ab Oratore postulantibus, quanto ipsi præteritorum temporum exempla superant, & ab usitata tam illustris demandandæ Provinciæ consuetudine magis recedunt. Non hospes nobis atque peregrinus advenit RR. EE. Patres, qui ex remotis terris per eximias virtutes, & egregia facinora auditione a nobis accepta ad hanc sedem longe nobilissimam aditum sibi patefecerit, eamque dignitatem, postquam per multos gradus sibi viam munierit, tanquam honorum fastigium consecutus sit, cujus simul atque nuncius pervenerit, inquiramus nomen, ingenium, virtutem, decus, meritum, solliciti qualis futurus sit, quæ ejus voluntas, qui rerum ordo, quæ nostra sors, quæ spes, a quo profecturam felicitatem nostram votis prosequamur, & cogitando tantummodo coniiciamus. Noster es, quem modo Patronum, & Sacrorum moderatorem suspi-

cimus, ac veneramur: novimus indolis suavitatem, morum integritatem, sapientiæ præstantiam, ut prosperitatem nostram jam nobis repræsentemus, exploratamque habeamus. In hoc solo tua crevit virtus, & fruges, fructusque edidit saluberrimos: hic orta, alta, aucta, amplificata merita tua usque eo, ut non per usitatos honorum gradus adscenderes, sed repente summum conscenderes, primum meritorum præmium consecutus illud, quod aliis consuevit esse supremum. Novum hoc, & admirandum, non tamen unum illud. Superiore tempore Episcopos excepimus lubentes, nec invitos, suæque dignitatis insignibus præfulgentes: nunc Te Episcopum pro tua modestia chareluctantem, &, pro Summi Pontificis in nos charitate, vere compulsum, atque hic, ob oculos nostros, quod jucundissimum spectaculum antehac non meminimus, sacris vestibus, ornamentisque magna cum celebritate, ac splendore decoratum. Alias erepto pro naturæ lege nobis Antistite alium ita suscepimus, ut a funesto casu ad lætitiam, a funebri persoluto officio ad plausus, a luctu ad hilaritatem traduceremur. Nunc primum ad totius Ecclesiæ gubernacula Præsule nostro summa Dei providentia, immortali Ecclesiæ nostræ ornamento, communi omnium, & exultanti lætitia sublato, ita Te suffectum habemus, ut festivis vocibus, faustis ominibus, gratulationibus, aliis super alios nihil intermittentibus, semperque novis gaudii, hilaritatis, lætitiæ fontibus perfundamur. Num quia nova accidere debuerant omnia, illud quoque accidit, ut novus quodammodo Orator, novo certe modo eligeretur, deposcentibus viva voce me unum Patribus, cum semper antea pluribus propositis, iniri suffragia consueverint, ut maximis eventis etiam minima convenirent? Cum hæc a dicente magna postulent, a tenuitate certe mea non expectanda, quid unquam jussistis Patres,

& quem

& quem ejus Viri, ipsomet præsente præconem esse voluistis, de quo vere qui velit dicere, non potest nisi magna dicere, ipse autem de se non potest audire quidquam magnifice? In gravi lucta, magnaque animi fluctuatione versor, Aud. veritus ex una parte ne illi molesta accidat Oratio mea, cui debet esse instituta, coactus ex altera necessarium præstare officium, aleæ, si unquam alias, nunc certe plenissimum. Hanc enim sacri muneris procurationem ineuntibus semper antea conspicuis quidem illis, & præstantibus viris, novis tamen huic Patriæ, atque ignotis, quæ ab Oratoribus commemorantur, satisfaciunt Audientibus, qui cum ignorent, si qua omissa fuerint, non possunt nec tacite Oratorem redarguere. Hoc tempore me apud eos dicere intelligo, qui rerum jam ante per multos adhuc annos utiliter nobis ac divinitus gestarum testes, spectatoresque cum fuerint, immo æstimatores etiam sæpe atque exornatores, si minus persequar quæcumque norunt, postulabunt fidem meam, & si concesserint in tanta rerum dicendarum ubertate necessario plurima prætermitti oportere, cum quisque judicet pro modo suo, & audire quisque velit, quæ ipse diceret, nec in delectu habendo ego unus in singulorum judicium incidere ullo modo possim, qui omnium ad unum desiderio satisfaciam, omnium ad unum reprehensionem effugiam? At si vobis licuit Patres RR. EE. eligere dicentem quem velletis, æqua ratio postulat, ut huic ea liceat seligere ad dicendum, quæ ipse velit. Ego vero innumerabilia æternis dignissima laudibus, quæ incredibilem admirationem excitarent, si explicari, dilatarique possent, una brevique Oratione complectenda nactus, multa strictim attingam, multa proponam, non exponam, multa significabo verius, quam ostendam, multa jam cognoscentibus cogitanda relinquam: Pictorem imitatus, qui in

exigua Tabella aggressus magnam hominum multudinem effingere, aliorum tantummodo vultum exprimit, aliorum dimidii oris lineamenta obiicit, aliorum summa capita ostendit, reliquum corpus missum facit, quasi in umbris delitescens, mentis oculis conspiciendum.

Quemcumque missum nobis ad hujus Ecclesiæ regimen admovendum Præsulem accepissemus, propterea quod dubitari non posset, quin divinitus nobis datus esset, Divinoque Numini maxime placeret is, quem, qui in Terris vices gerit Supremi Numinis, delegisset, libentes illum profecto, & gratulabundi accepissemus. Sed quantum interest inter præterita & futura, quanto explorata & experientia comperta majorem, quam sperata & expectata lætitiam in animis hominum commovent, tanto plus fidei habere debet ea gratulatio, quæ Tibi fit, Præsul Amplifs. jamdudum gubernanti, quam ea, quæ gubernationem ineunti habeatur; de quo qui pronunciare velit futurum talem, qualem Te longum tempus habuimus, is debeat ad conjecturas, quasique auguria confugere; & si illa jucundissima accidunt, quæ quis aliquando præsenserit, ecquam putes nostrorum esse alacritatem animorum, cum videamus Te nobis concessum, quem simul atque pernicibus alis invecta Fama detulit Rectorem nostrum, Pastorem, Parentem, cujus memoria semper dulcissima nobis erit, Carolum Rezzonico ad Summi Pontificatus apicem evectum esse, jam tum præsagivit animus in ejus locum suffectum iri? Et si magnopere delectat, quæ quis judicaverat, ab aliis etiam ita judicari, quam justa ratio suppetit cur immortaliter gaudeamus, vehementer lætemur, nobismet ipsi summopere placeamus, dum Te videmus Divino quoque judicio probatum, quem semper hac fede dignissimum judicavimus? Patere expromi ani-

mi

mi voces, quæ comprimi fine veritatis injuria non possunt. Tu unus inter multos dignos dignissimus, cui summa rerum nostrarum potissimum concrederetur. Fidenter loquor; minime veritus ne quis existimet, me ex veteri & usitato laudandi more ad tempus loqui, audientibus sententiæ meæ judicibus, iisdemque testibus. Quotus enim quisque nostrum est, quem lateat per viginti, immo amplius annos Te in hac amplissima administranda provincia talem adjutorem atque socium præstitisse, ut tuo præsidio maxime niteretur sacra universa res? præsidio inquam singularium virtutum tuarum; comitatis in excitandis magis, atque magis ad laudabiliora hominibus probis, conjunctæ in corrigendis peccantibus cum clementia severitatis, prudentiæ, quam nihil falleret, justitiæ, quam nihil inflecteret, fidei, & constantiæ, quam nihil imminueret, vigilantiæ, quam nullus labor frangeret, in suscipiendis rebus providentiæ, in agendis solertiæ, in perficiendis diligentiæ simul, & gravitatis, ut eas res nec festinatio præcipites ageret, neque cunctatio inutili mora corrumperet, præsidio tandem virtutum, quæ in Te congestæ sunt; quæ cum sint omnes, ita singulæ eminent, ut quoties pro re nata uteris hac vel illa, toties ea nimirum excellere videaris. Floret vinea nostra cultissima qua surculis succrescentibus, qua grandioribus plantis, qua maturatis, rebus autem omnibus suo loco, & ordine collocatis, loquamur apertius: viget Ecclesiastica disciplina per gradus in iis, qui Divino mancipati sunt ministerio, ubique positi sunt idonei aptique ministri, optimis institutionibus sacra peraguntur, sanctissimis præceptionibus universus Patavinus populus continetur, Religio, Pietas, Fides, Divinus cultus regnat ac dominatur, imperio quidem Antistitum, quis neget? tuo tamen consilio, quis non

fateatur? Parietes medius fidius Epiſcopalium iſtarum ædium conſcii ſunt, intra quos diutiſſime verſabaris, quanta Sapientiæ tum ab illo Divino, tum ab illo altero Eccleſiaſtico fonte hauſtæ argumenta dederis, quam apte conſultus reſponderis, quam caſte integreque ſponte ſuggeſſeris, quam animoſe & conſtanter vera, rectaque tuereris, ut nihil deliberaretur, decerneretur, perficeretur niſi monitore, hortatore, auctore, parum abeſt quin dicam moderatore Te, cui deerat Epiſcopi nomen, inerat auctoritas, qui onus ſuſtinebas, de honore minime cogitabas, cui non in ſermone tantum, ſed in vultu ipſo, ac nutu Epiſcopalis emicuit ſemper gravitas, qui verbo, exemplo, factis eras Epiſcopus, antequam eſſes. Tanta incrementa virtutum, tam eximiam rerum gerendarum ſcientiam, tam magnum cumulum, excelſamque molem rerum pulcherrimarum non magnopere miretur, qui jacta a Te jampridem fundamenta cognoſcat. Ecquid aliud expectari ab eo poterat, qui annos natus XV. in Patria de rebus Phyſicis ingenti plauſu publice diſputavit, ibique rude donatus Romæ trienio vix elapſo de rebus Theologicis, de Pontificio jure, de Hiſtoria Eccleſiaſtica publicum certamen habuit, quo omnes in ſui admirationem Adoleſcentulus pertraxit, multorum benevolentiam ſibi conciliavit, Virorum principum gratiam iniit; ab eo, cujus vel pueri animo collecto fere ſemper intentoque ſtudiis, & rebus honeſtis innaſcebantur illa virtutum ſemina, quæ in dies adoleſcentia brevi in admirabiles fruges erumperent; ab eo, quem Adoleſcentem eam ob cauſam acceptiſſimum cariſſimumque habuere S.R.E. Cardinales, quod plane proſpicerent & probitatis, & ſcientiæ ornamento non æqualibus ſuis ſolum anteferendum, ſed cum majoribus natu comparandum. Jamque ille ſe ſe e veſtigio parabat ad ingenii doctrinæ-

que

que experimentum longe majus, nostri vocant, *Actum magnum*, cum domestica lætitia domum revocatus, fausta Genti suæ, sibi prope infausta, illud curriculum interrupit, in quo magnis gressibus ad gloriam, dignitatemque properabat.

Quamquam quis Divinæ Bonitatis semitas persequi possit? Ad nostram felicitatem divinitus designato facta est illi ad nos via, & in nobilissimum Virorum cœtum, qui in nostra hac civitate supra cæteros tum ecclesiastico, tum nativo splendore eminet, coptato oblata est facultas exercendæ pietatis pro flagrantissima sua cupiditate, agenda majore vitæ parte in sacris ædibus, qua divinis laudibus concinendis, qua tacitis precibus effundendis, qua sacris faciendis, quanta religione, quam pio cultu, quam præclaro exemplo, vobis ne ego referam, quorum in oculis tanta virtus perpetuo versata est? Sed cum intelligeret humanum animum ad illud, ex quo ductus est Divinitatis exemplar non satis accedere contemplatione earum rerum, quæ uni cognoscenti prodessent, nisi in iis quoque studium collocetur, ex quibus quam maximus fructus ad quam plurimos perveniret, persolutis Divino Numini officiis, in earum Artium cultura occupabatur, quæ procurandis hominum commodis inservirent. Hoc exacto Tyrocinio in partem Episcopalis oneris vocatus est, in quo sustinendo semper æquabile, semper laudabile sui specimen ita dedit, ut cum semper repererint boni quod admirarentur, nihil minus æqui reperire potuerint, quod calumniarentur; adeo nihil unquam in vita expetendum putavit, nisi quod esset cum laude & cum dignitate conjunctum. Per hoc laudis ac laboris plenum iter ea virtus Præsul Ampl. quæ Te a puero suscepit, cum ætate adolevit, serius quidem quam merita tua postularent, in isto tamen excelso Pontificiæ dignitatis gra-

gradu suis tandem ipsamet manibus collocavit. Et Tu tantis onustus meritis, tantis ornatus virtutibus, tantis munitus præsidiis, qui acerrima vi ingenii, optimarum Artium exercitatione, assiduis rerum experimentis talem Te nobis exhibuisti, qualem præclarum Antistitem esse decet, qui eam vitæ rationem constanter secutus es, ut Sanctissimi Episcopi imaginem vere exprimeres, Tu . . . . æquis auribus excipe querelas nostras; Nos, si optio facta fuisset eligendi quem vellemus, non alium postulassemus, si fingere & adumbrare liceret hominem ad voluntatem, non alium instituere libuisset, quo meliorem, & accommodatiorem nec optare possumus, neque cogitando informare; Tu, inquam, (quæso iterum da veniam conquerentibus) Patavinam Cathedram recusabas? In quo dudum huc usque evigilaverunt curæ, & cognitationes tuæ, nisi ut nobis ad recte, beateque vivendum Dux, & Magister esses, rebusque nostris pro Pastorali munere provideres? Licuerit pudori tuo, ne cum imperio ad Tarvisinam Diœcesim te conferres, tergiversari, subterfugere, declinare tanta dexteritate, ut Benedictus XIV. tandem Te excusatum habuerit. Sentio Auditores, in medio querelarum cursu Orationis meæ vela sua sponte contrahi, & alio aperto mari aliorsum pandi. Quam parum usitata isthæc virtus est, & ab Ecclesiasticis tantum Annalibus repetenda, tametsi in iis ipsis non frequentissime reperienda, quempiam esse gloriæ, cujus studium naturaliter insitum cuique est, quæ est præmium virtutis amplissimum, esse quempiam ita contemptorem, ut illa demandata ultro officia repudiet, ex quibus ingens decus, honor, dignitas, claritas, amplitudo, gloria redundet! Exemplis enimvero Historia nostra non caret. At cum Deus O. M. pro Sapientissimo consilio suo ad hominum utilitatem dona largiatur,

quia

quia Sanctimonia magis ei utilis est in quo inest, doctrina vero magis in aliorum bonum diffunditur, propterea perpauca legentibus occurrunt Sanctitate excellentium virorum exempla, qui in Artibus hominum generi fructuosis exercitatissimi illa respuerent munera, quæ istarum præsertim Artium cognitionem requirerent. Ab Oratione mea Præsul Ampl. pudentissimus animus tuus ne refugiat. Non Te comparo cum aliis. At quoties in Te mira commemoro, Tibi gratulor; in Te principem Deum bonorum omnium auctorem, largitoremque suspicio. Cum vero innumera bona in Te Deus munifica manu contulerit, quamobrem jamdudum dignus habitus es, qui Sacrorum non adjutor modo, sed Princeps esses, fugiendo honores, qui te sectabantur, fecisti rem non frequentissime, & nisi a Viris Sanctissimis usurpatam, rem non solum nostrorum hominum prædicatione celebrandam, sed etiam posterorum admiratione in omne tempus excipiendam. Licuerit tamen, (ut eo redeam, unde discesseram) licuerit virtuti tuæ ad cæteras tuas summas laudes hanc etiam addere, ut sublimes dignitates promereteris, non autem consequereris, uno tuo prohibente, & advesante pudore. Non iis tamen cum Tarvisino populo officiorum vinculis obstringebaris, quæ Te magnopere cum Patavino conjuxerant, qui Te ita sibi proprium vendicat, ut possessionis jure retineat. Factum bene! quod Clemens XIII. in honore deferendo constantior fuit Benedicto XIV. suaque deferendi constantia tuam vicit recusandi. Noverat satis & ille alter probe noverat cessuram rem in magnam ejus Gregis utilitatem, cui Te Pastorem dedisset, & adeo noverat, quæ in optimo requiruntur Pastore in Te esse, ut creatum Antistitem Patavinum Carolum Rezzonico hæsitantem, dubitantem, onus ingens extimescentem

tem ea ratione confirmarit, quod Te consiliarium, adjutoremque habiturus esset. Attamen ille Te per interpretes, & internuncios cognitum habuerat. At vero opera tua per quindecim annos Clemens usus est; quæ magna de Te audiverat, contra illud, *minuit præsentia famam*, majora suismet oculis conspicatus est, nactusque est Te factum secundum cor suum h. e. numeris omnibus absolutum. Quapropter cum paterno nos adhuc amore amet, tametsi summa Te, ac singulari benevolentia complectatur, quia tamen intelligit virtutem tantam otio, præ nimia verecundia non obrui oportere, maluit bono nostro consulere, quam plus æquo tuæ morem gerere voluntati. Summam hoc beneficio, Pater Sanctissime, explesti tuorum immortalium in nos meritorum, qui æterno Dei decreto discedere hinc coactus, inter maximas universi Christiani Orbis curas hanc præcipue suscepisti, ut nobis relinqueres, qui Te referret, quo præsente Te abesse vix sentiremus. Ita sospitet, fortunetque Te ad annos Petri, &, si licet, ultra, propitius Deus, ut gratissimo animo sumus ad hunc tuorum innumerabilium beneficiorum cumulum, pignus amoris in nos tui certissimum, monumentum luculentissimum. En patent Divina Consilia. Divina Te nobis Præsul Ampl. Providentia servavit, nobis Te Divina Pietas tanto ante non ad tempus dederat, ut aliis Gentibus aliquando præesses, totum tuæ vitæ curriculum nobis addixerat. Quocirca idem summus rerum moderator Deus (neque enim alius) Clementi XII. cogitanti Te inscium, & inconsultum a Vicaria Patavinæ Diœcesis ad Episcopalem Torcellanæ gubernationem transferre, nescio quod impedimentum intulit, quo retardatus Summus Pontifex Te nec opinantem insigni alio dignitatis titulo liberalissime decoravit, & quanti Te faceret jam tum ab illo omnium celsissimo

So-

Solio omnibus patefecit. Quamquam, Auditores, utrum illustrius suæ de tanto Viro existimationis argumentum dederit præmio afficiendo, an negotio, cujus causa præmio afficiendum censuit, demandando equidem non dijudicaverim. Exortis enim inter Religiosos nescio cujus Familiæ homines alioquin in omni Virtutum genere laudatissimos, prout in multitudine omnia incommoda vitari non possunt, exortis, inquam, asperrimis rebus, implicatis, difficillimis, quibus componendis frustra Viri probatissimi enixi fuerant, tametsi illorum, qui summæ ipsorum rei præerant, accessisset imperium, tandem ad supremum Vaticani Oraculum delatis, ei res commissa est, quem modo Superis bene juvantibus Antistitem veneramur. Negotium suscepit obsequens, concilio interfuit humaniter, cognovit sapienter, ambages atque nodos expedivit solerter, difficultates facile sustulit, sententiam ex omnium voto dixit, maximo cum plausu, communi voluptate, mira felicitate pacem, concordiam, tranquillitatemque restituit. En quam alte repetenda, quamque late disseminata fama, & opinio consilii sapientiæque ejus hominis, qui nihil antiquius semper habuit, quam sua involutus virtute delitescere, thesaurosque suos ab oculis hominum removere. Lucem vero præcipue ingentem quis occultare possit, ac tenebris circumfundere? Ex eo tempore si quod gravius, & implicatius negotium apud nos emersit ei Romana auctoritas delegavit. Romana autem? Summum illud Consilium, ille Ordo Amplissimus, qui non Italiæ marisque partem regere, sed universum Terrarum Orbem divina, qua præditus est, mente possit, Venetus, dico, Senatus controversiam inter Ecclesiasticos Urbanarum Curiarum Rectores, & Sacras Laicorum Sodalitates longe acerbissimam apud Magistratus sæpe agitatam, tandem huic tradidit (tan-

(tanta fuit unius hominis existimatio) provocatione sublata dirimendam. Tantam virtutem, tantamque prudentiam, tam incredibilem admirabilemque Sapientiam hic pene natam, certe altam educatamque alio transferri noluit benignus Deus. Nostrum erat bonum hoc, in nostram utilitatem perpetuo retinendum: & si fas est sine invidiæ nota vera dicere, non satis exæquabant eximia merita tua, Antistes sapientissime, cæteræ sedes, etsi omnes perillustres. Unum Patavinum Pontificium Imperium Te decebat. Non ego Urbis nostræ decora ab ultima antiquitate, ab hac Cæli clementia, ab elegantia Civium, ab ingeniornm fertilitate, aliisve id genus rebus, quibus vel florentissimis Civitatibus invidiæ esse possit, longe plurimis ego repetam; sed multa ornamenta hæc Tibi ex merito concredita Civitas habet, quæ aliæ non habent, quæque communia cum aliis habet, in iis ipsis alias non mediocriter antecellit. Collegia Excellentissimorum hominum ab Artibus nobilissimis sibi nomen vindicantium, Philosophorum Jureperitorum, Theologorum, Gymnasium toto Terrarum Orbe celeberrimum, omni ætate Viris abundans litteratissimis, omnibus ingenuis Artibus instructum, (ut mittam alia) hunc Antistiti Capiti suo splendorem addunt, quem in aliis Civitatibus Præsules frustra requirant. Et si nulla Episcopalis Diœcesis est, quæ Canonicorum Consilio non exornetur, sacris ministris non muniatur, iisque aliis in aliorum locum opportune sufficiendis Seminarium non habeat, ecquis alius Canonicorum cœtus cum hoc nostro Patavino de dignitate contendat? De quo quia non vacat satis dicere, satius duco nihil, quam pauca dicere. Dicam vero, & rem manifestam dicam, Ministrorum sacrorum & copia, & scientia, & omnibus, quæ hos homines decent, præsidiis nos (præfiscine dixerim)

rim) cæteros populos (loquor autem de nostris) facile superare. Seminario equidem magis debeo (etenim me totum debeo) quam ut possim libere ad veritatem loqui ego, cujus charitas in Loci laudatione suspecta esse possit & φιλαυτία ibidem Docentis notari. Quocirca Seminario Patavino aliud si quis vult, anteponat, id ego præteriens ad propositam dicendi metam contendo. Hæc sedes, Antistes dignissime, singularibus decorata ornamentis, adjumentis amplioribus firmata, solidioribus pro supplemento ministrorum scribendo fundamentis nixa, hæc sedes, quam Barbadici, Cornelii, magna nomina, sanctissima nomina, semperque viri Romanæ Curiæ Primarii, Reip. Venetæ Principes tenuerunt, hæc una Te digna visa est, tua merita hoc præmio erant compensanda, Tibi ab hoc dignitatis gradu exordiendum. Importunus mihi scopulus modestia tua est. Ne succenseas, oro, vera & manifesta de Te prædicanti, aut si animus tuus in audiendis singularibus præconiis acquiescere nequaquam potest, absis parumper auribus, dum, ne officio desim, neve quod res est ingrato silentio prætermittam, paucis Audientes volo. Hæc celsissima Sedes dignitatis, atque honoris, hæc ingens Patavinæ Ecclesiæ amplitudo, hæc Pontificia majestas, digna paullo ante eo ipso qui summum in Terris, & uno Cælo inferius honorum fastigium adscendit, huic ipsi summo Principi, quem cum in cæteris rebus rara quædam, & exquisita sagacitas, tum acerrimum in expendendis cujusque recte factis judicium commendat, huic, inquam æquissimo rerum æstimatori visa est non digna satis Episcopi nostri meritis, nisi eam quodammodo magis honestatam traderet, aliis super alios honoribus adiiciendis, illo præsertim (alios consulto

præ-

præterco, quia præterire consultum est) illo igitur dicam præsertim, quo ei stemma suum cum Pontificio conjungere non petenti concessit, quod permittitur nemini nisi petenti, nec licet petere nisi Viris Eminentissimis. Quid hoc factum admoneat intelligit satis, qui quidquam intelligit. Ego interea, cui secretiora adyta penetrare nefas est, ut in præsenti nostro, ac prope nativo bono subsistam, quibus gratulationis vocibus compellabo Te, Præsul Amplifs. aut qua gaudii significatione omnium nostrum lætitiam expromam, quæ ex omnium Ordinum studio, officio, benevolentiaque erumpit, omnium linguas intendit, atque allicit tuis pangendis præconiis, tuis laudibus concelebrandis? Haudquaquam verear nomine hujus Sacri Theologorum Collegii, quod omnes Ecclesiasticorum ordines complectitur, ad quos præcipua pertinet tantæ lætitiæ pars, sacris quoque vocibus acclamare: *Tu gloria Jerusalem, Tu lætitia Israel, Tu honorificentia populi nostri* Tu, quod portento simile est, *Propheta in Patria*, Tu paullo ante Ovis ex Grege, ejusdem Gregis (adeo tua Te extulit eximia virtus) Pastor effectus. Te notum Pastorem per tua vestigia gradientem Oves notæ per eadem vestigia sequemur, cujus vocem suavissimam, plenissimam amoris, studii, charitatis jam modo aperte, & propalam exaudivimus. Quid mihi Sirenas, quarum cantandi suavitate capti qui prætervehebantur, ad earum saxa discendi cupiditate adhærescerent? Quid sapientem atque flexanimam Ulyssis eloquentiam? quid melle dulciorem ex ore Nestoris fluentem Orationem? Mel scilicet Claravallensis Cœnobitæ in tuis litteris degustamus, Chrysostomi aurum colligimus, Divinique Spiritus dulcedine atque sapore intimis sensibus toti perfundi-
„ mur. Dabit (ne dubites) dabit Deus voci tuæ

„ vo-

„ vocem virtutis ; ut futura sint tua verba ad nos „ non in sermone tantum , sed & in virtute , in „ Spiritu Sancto , in plenitudine multa : quippe „ verbis tuis firmata exemplis pondus addit aucto- „ ritas.

Ad exemplar tuum, quantum licuerit , nosmet componemus , quem , quales nos esse hortaris , plane talem esse scimus , ut , quemadmodum ipse feceris , & nos faciamus , „ quo incensum no- „ strum acceptabile sit Domino . Ingrediemur se- „ mitam per Te nobis apertam , per quam pate- „ re possit adscensus ad montem Domini : enitemur tota animi cogitatione , totisque viribus , ut simus , quemadmodum mones , *Christi bonus odor*. *In odorem* nimirum currentes *unguentorum tuorum* . Quid ego modo nosmet commendem tibi , cujus charitas jamdudum nobis cognita , atque perspecta nunc vero per tuas paternas litteras expressioribus notis insigniter prior ipsa se se prodidit ? Nihilo tamen secius etsi semper omnes tua isthæc paterna charitas complexa , & complexura est , nullus dubito , quin peculiares quodammodo futuri Tibi illi sint , qui eas disciplinas profitentur , quæ Episcopis maximo adjumento sunt . Inter quas certe principem locum obtinet vitæ dux , morum magistra , virtutum parens , vitiorum expultrix , errorum hostis, veritatis vindex , Fidei propugnaculum , Religionis , Divinique cultus incrementum, Theologia . Horum ego nomine, qui divina ab Arte hac appellantur , Tibi polliceor summam fidem, summam observantiam , summam in iis , quæ jusseris libentissime obeundis voluntatem . Colent Te Parentem amantissimum , sequentur Ducem certissimum , & in hac tua pretiosissimis onusta mercibus navi gubernanda Te Navarchum

S pe-

peritissimum tamen pro viribus adjuvabunt, quo tandem illa fluctus, & scopulos tua prudentia prætervecta optatissimum immortalis vitæ portum tuo ductu felicissime teneat. Faxit bonus Deus, bonique Cælites omnes, atque in primis hujus Ecclesiæ Præsides, ut, quod fecisti, quod facis, quam diutissime facias. Dixi.

Anno 1758. Mense Novembri.



DE

DE

LINGUA GRÆCA

Ad Studia instauranda

ORATIO.

AD solennem Studiorum instaurationem in hanc publicam arenam honestatis plenissimam & amplitudinis, in qua se se tanta cum eloquentiæ laude semper antea ingenia præclarissima exercuerunt, quantam ipsorum Oratoria monumenta publici facta juris declarant, Ego hoc anno, cum rebar me jam rude donandum, quasi armis Musarum ad postem fixis, non quidem ut languori ac desidiæ, me dederem, sed ut alia via Adolescentum rationibus studerem, si minus docendo litteras, at mores informando, attamen hoc auspicato Litterariæ Rei nostræ certamine prodire jussus Principis Emminentissimi auctoritate, atque imperio, cujus imperio atque auctoritate nostra omnium studia diriguntur, nostræ omnium res administrantur, ut huic Juventuti in magnam spem altæ educatæque, ab recenti nostri quasi Musarum exercitus lustratione alterum studiorum curriculum jam ingredienti proluderem; adjeci statim animum, ut Principis auspiciis dignum, Audientium doctrinæ consentaneum, Juvenum institutioni opportunum aliquod argumentum proponerem. In ea mihi cogitatione defixo occurrebant tractanda sane plurima, quæ ad eas artes honestissimas pertinerent, ad quas ut instituantur, fidei nostræ concrediti Adolescentes sunt; ea tamen omnia, in quibus cum alii copiosius, atque ornatius, quam ego possim, versati sint, intelligebam nulla posse me di-

cendarum rerum novitate vestros animos detinere. Suspensum itaque animum meum, & refugientem recoctam crambem apponere excitavit quodammodo, & quid potissimum dicerem admonuit ejus Viri memoria, qui, ut de universa Civitate sileam, hoc in loco sedem Virtutis, Litterarum domicilium, præstantium hominum quasi Prytanæum collocavit, memoria inquam Gregorii, quem obsequii & pietatis causa nomino, Barbadici. Is, ut ex probatis ipsi Sacræ Rituum Congregationi testibus, id est probatissimis compertum habeo, & a nostris fidei certissimæ hominibus intelligo, Græcam Linguam in primis commendatam voluit, suumque ejus conservandæ, atque in perpetuum colendæ desiderium & viva voce quasi præsagiens in posterum, cum inter mortales ageret, hilari vultu significavit, & re luculentissime ostendit, cum cæterarum quidem liberalium Artium alias ab aliis pro cujusque indole ac voluntate colendas statuit, Græcarum litterarum cognitionem communem omnibus esse sanxit. Ecquid igitur aut huic tempori, aut omnino meo muneri facere convenientius possum, quam si ea de re dicam, quam si optimus Legislator adesset, libenter audiret, ea de re, quam antehac ex hoc loco tractavit nemo, ea de re, cujus studium futurum est ad omnem pulcherrimarum rerum cognitionem contendentibus fructuosissimum? Hominis sanctiss. auctoritas tuam mihi P. E. pollicetur in audiendo facilitatem, argumenti novitas vestram, Aud. benevolentiam, vestram autem attentionem ipsamet vestra utilitas, Adolescentes.

Laudes Græcæ Linguæ aggredienti dicere tanta mihi oboritur hoc in argumento fœcundissimo disputandi seges, tum nobilissimarum rerum varietate, tum doctrinarum omnium supellectile, tum ingeniorum in omni Artium genere excellentia, quæ Græcis maxime litteris continetur, ut Orationis, in

qua-

qua profecto non tam copia, quam dicendi modus quærendus est, difficilius sit exitum, quam principium invenire. Percurrat si quis vult universum litterarium regnum, omnes litteratorum ordines invisat, monumenta, quotquot injuriam temporum effugerunt, examinet, tum judicet num rem litterariam omnium maxime Græci ditaverint, num principem locum & tenuerint omni ætate sine controversia, & hac etiam nostra cum gloria teneant; num, quod de Homeri carminibus solebat dicere, Plinio teste, (*a*) Alexander Magnus, omnia illorum hominum scripta pretiosissima humani animi opera dici possint. Certe eam gloriam Græcis nemo unquam detraxit, ut Gentibus omnibus scriptorum nobilitate & copia, & ingenio præstiterint. Ignota sint multis eorum scripta, iis, dico, qui ipsorum familiaritate neglecta in litterariam Remp. tam parvum æs afferre possunt, ut vix capite censi habendi sint; ignota tamen nullo modo esse possunt Platonis, Aristotelis, Homeri, Demosthenis, (ne singulos nominem, innumeri enim sunt) tam grandia nomina ne pueris quidem ignota esse possunt. Neque illud ignorari potest in omnibus & gravioribus, & humanioribus disciplinis ita excelluisse, ut palmam posteris omnibus præripuerint; nisi si quis ignoret Horatianum illud tritum jam ac pervulgatum (*b*) *Graiis ingenium, Graiis dedit ore rotundo Musa loqui;* aut ignoret, quod testatur M. Tullius (*c*) extulisse ætates singulas singula prope genera dicendi; quod non tam facile in Latinis hominibus licet judicare, quia scripta, ex quibus judicium fieri posset, non multa reliquerunt, quam in Græcis; ex quorum scriptis cujusque ætatis quæ dicendi ratio voluntas-

(a) *Hist. Nat. l. 7. c. 29.* (b) *A. P. ver. 324.*
(c) *de Orat. l. 2. c. 22.*

que fuerit, intelligi poteſt, & tamen æmulus Cicero Græcorum gloriæ ſæpe minus, quam par eſt, laudis iis tribuit, ſæpe ſuis plus æquo concedit; a quibus cum Poema Dithyrambicum magis eſſe tractatum (*a*) ſcripſerit, nodum difficillimum ad eruditos poſteros tranſmiſit, &, niſi aliter legant, non expediendum: ut is communi ſenſu careat neceſſe ſit, qui non ſentiat hoc eſſe commune judicium, Græcos & præſtitiſſe cæteris ingenio, & eximia ſupra cæteros ingenii monumenta prodidiſſe. Quæ cum ita ſint quiſquam ad Litterarum gloriam adſpiret, quin ardentiſſima cupiditate inflammetur eos homines audiendi, & intelligendi, eorum ſententias doctrinaſque inveſtigandi, eorum conſuetudine, & familiaritate utendi? Platonis Philoſophiam, quaſi hæreditatem ita Speuſippo Sororis filio relictam putet, ut nihil ad ſe velit pertinere, & æquo animo ſurdus ſit ad ea, quæ in veteris Academiæ ſpatiis ille Philoſophorum Deus de Ideis, de Conditione Mundi, de Immortalitate Animorum, de Bonorum poſt mortem Tranquillitate, de Impiorum pœnis divinitus diſſeruit, & arceatur quiſquam libens a Cupreſſetis Gnoſſiorum, (*b*) ubi cum Clinia, & Lacedæmonio Megillo de inſtitutis Rerumpublicarum ac de optimis Legibus immortalitate dignas diſputationes habuit? Peripatum perambulet docens alios quotcumque præter te nec nolentem, ſingulari ille vir ingenio ac pene divino, Ariſtoteles, inquam, qui acie mentis omnium rerum vim, naturaſque pervidit; immo fortaſſe ſcitula quadam levitate eum audeas carpere, quem non magis intelligas, quam ego aut Garamantum, aut Indum? In Euclidis Geometria deſudes, ipſo Euclide tibi loquente lapides, aut etiam monſtra? Epictetus, Lucianus, Athenæus, Plu-

(a) *De opt. gen. Or. princip.* (b) *Cic. l.* 1. *de Leg.* 15.

Plutarchus cum cæteris id genus hominibus eruditissimis & sapientissimis jaceant per te tinearum pabula, per te, inquam, qui magnarum rerum cognitionem desideras? Quod si ab iis Artibus, quæ severiores habentur, & cujusdam veluti gravioris supercilii ad litteras politiores, & suaviorem humanitatem divertere tibi in animo sit, miror qui alios potius adeas, quam Xenophontem, Herodianum, Lysiam, Isocratem, Euripidem, Theocritum, Aristophanem, & illud Musarum viretum Anthologiam! Atqui omnium semper Græcia magistra fuit. Ab illa tanquam ab immenso mari copiosissima doctrinarum flumina, & purissimi Hippocrenæi latices in terras omnes exundarunt. Si qua Gens polita fuit & exculta litteris ea Romana fuit, quæ cum imperium omnium Gentium armis acquisierit, retinere, non potuit nisi Litteris. At illa rudis primum ac truculenta, quippe colendis agris, tractandisque armis tantum dedita, cum ad Græcorum amicitiam se se contulit, cum ab illis animi ornamenta accepit, cum illorum doctrinis instituta est, ex eorum Scholis egressa ab agresti jam & effera vita ad civilem humanioremque cultum traducta eos progressus in bonis Artibus ac laudabilibus disciplinis fecit, ut prope Magistrorum gloriam æquaverit. Amisisti infelix Græcia omnia antiqua decora, quæ tibi Miltiades, Themistocles, Epaminondas, aliique innumeri strenui Duces rebus præclare gestis, nobilissimisque tropæis ad hæc usque tempora celebrandis olim peperere, quibus eras hostibus formidanda, amicis observanda, Gentibus omnibus admiranda: hæc amittere potuisti; & rursus longe post occasum Romanæ Reip. cum iterum aliquando erexisses caput, & imperium tuum obtineres, potuerunt Barbari, ita ferentibus rerum humanarum vicibus, infinita armatorum multitudine ingruente, te in longe ca-

lamitosiorem servitutem redigere: at nulla temporum series, nulla rerum humanarum vicissitudo, nulla vis, non ferrum, non ignis eam tibi laudem eripere potuit, ut ne omnium magistra semper existeres. Nam cum bellica virtute Romani Græcos superarunt, sibique in Græciam aditum patefecerunt, eo tanquam ad mercaturam bonarum Artium liberos mittere, inde doctos homines Romam accersere, eorum vero scripta omnia evolvere, & diligentissime scrutari cœperunt; & quamvis contenderent velis, ut dicitur, remisque ut litterarum quoque decus Græcis aufferrent, consecuti quidem sunt, ut illud cum illis secum communicatum haberent, nunquam tamen ut victos in aliis rebus, in hac quoque vincerent: & si Latini quoque præclaris voluminibus Linguam suam ita extulerunt, ut ipsa quoque dominetur apud omnes Gentes cum dignitate & gratia, habent quo se jure glorientur, dummodo eam gloriam Magistris, hoc est Græcis acceptam referant. Concedamus Cæsari affirmanti Ciceronem (*a*) eloquentia sua benemeritum esse de Populi R. nomine & dignitate; credamus tamen Quinctiliano (*b*) fatenti eum quantus est a Demosthene factum: præter quam quod & admodum adolescens se Græcis in disciplinam tradidit, & cum jam clarum meruisset inter Patronos, qui tum erant, nomen, illis eloquentiæ ac sapientiæ Magistris (*c*) se rursus formandum, ac velut recoquendum dedit. Auditis in theatro Virgilii versibus præ admiratione assurgat universus populus cum plausu & clamore, eumque præsentem ac spectantem veneretur sic quasi Augustum, (*d*) sed Parthenio Niceno, Pisandro Camiræo, Hesiodo, Theocrito, & supra cæteros Home-

(*a*) *Brut. n.* 254. (*b*) *l.* 10. *c.* 1. (*c*) *Apollonio Moloni. Quinct. l.* 12. *c.* 6. (*d*) *Tacit. Dial. de Or.*

mero liceat superbire discipuli gloria: ipse vero inter cæteras eximias laudes, quibus omni ætate cumulatus est, sibi ea maxime placeat, qua teste Afro Domitio (*a*) secundus est ab Homero, propior tamen primo, quam tertio, & qua Juvenali teste dicitur condidisse (*b*) *dubiam facientia carmina palmam* Adeo Græci semper omnium magistri fuere, ut, cum erumpentibus Barbaris ab Italia Græca lingua exulare coacta est, tum litterariam quoque Rempublicam barbaries invaserit, ac tabo, labe, ac peste perniciosissima infecerit. Quandonam illa ignorantiæ lues grassari desiit, ac tota Litteraria res profligata deserta misera ad pristinum decus revocata est? Nimirum cum Emanuel Chrysoloras in Italiam venit, & Linguam Græcam a 700. annis neglectam una cum Latina restituit Venetiis, Florentiæ, Romæ, Ticini, & illustres Auditores reliquit Philelphum, Gregorium Tiphernatem, Leonardum Aretinum, Pogium, aliosque plures, qui ignorantiæ indicto bello immortali injecerunt spem fore, ut omnis inscitia Græcorum ope exterminaretur & quidem spem non fefellit eventus. Nam per ea tempora Argyropylus, Chalcondilas, Gaza; Georgius Trapezuntius, & quotquot in imperio Græco litterarum laude florebant. Barbaris ejus Imperii ruinæ impendentibus ad nos confugerunt, hospitium remunerantes pretiosissimo munere, omni scientia litterarum allata. Hanc alteram Græciæ calamitatem non possum non supra alteram miserari, & quamvis fortasse aliquis id ex merito contigisse contendat, tamen ecquis habeat sensum humanitatis, qui non miseretur? Verum si, a debuit esse causa litteraturæ in antiquam possessionem restituendæ, & eluendæ a nostris animis maculæ, quam per tot annos ignorantia, & vis Barbarorum attu-

S 5 le-

(*a*) *Quinct. l.* 10. *c.* 1. (*b*) *Sat.* 11.

lerat, bona cum venia dictum esto, fero animo non iniquo. Quare grati simus Græcis hominibus tam bene de nobis, totaque Italia meritis. De Italia dico? Imo de Gentibus omnibus, quæcumque litteras colunt, & vitam paullo politiorem vivunt. Nam ab Italia Græca eruditio Parisios citato gradu contendit, hinc ad Belgas convolavit, mox Germanos, Anglos, Hispanos, aliosque populos citissime pervasit, penes quos stat honos litteris. Glorientur igitur & jacent cum vetera, tum recentia decora meritaque Græci homines, a quibus cæteri didicerunt; &, quoniam sine græca litteratura, nemo vere litteratus esse potest, accedant ad tibias atque lyras excitante Plutarcho non Poetæ solum, sed ejus Gentis Scriptores omnes, canantque jure quodam suo; (a) εὐφημεῖν χρὴ, καξίςασθαι τοῖς ἡμετέροισιν, ὅςις ἄπειρος τοιῶνδε λόγων, ἢ γλώσσῃ μὴ καθαρεύει, ἢ γενναίων ὄργια μουσῶν μήτε ἦσε, μήτε ἐχόρευσε. *Favete linguis* (libet, opinor, Plutarchum audire latine) *favete linguis, cedite nostris; si quis imperitus horum sermonum, aut linguam non callet puram, aut nobilium orgia Musarum non cecinit, neque choris ducendis interfuit*. Cupientibus enim in Musarum penetralia pedem inferre, aut penitus interclusus aditus est rerum græcarum rudibus, aut facientibus gradum nulla a Græcis accepta face omnia occurrent obscuritatis plenissima, & tenebrarum caligine circumfusa; aut si quis irato Apolline, Musisque invitis litterarium cursum confecerit, quin in Græciam navigaverit, sero sapiet aliquando, ut ille Cato, qui Græcas litteras senex didicit, ac tanquam Pelias recoquendus, retrorsum ad Græcos migrabit, aut intelliget se vix ullum in Litterario Regno futurum. Nimis calamitoso

(a) *Comment. Bello ne, an Sapientia clariores Athenienses fuerint*.

tofo fato experientia, ut dicebamus, fatis fæpe docuit, fublato Græcæ Linguæ ftudio homines in magna rerum ignoratione verfatos effe, ac tum demum Viros magni nominis extitiffe, cum Græcis ftudere aut potuerunt, aut voluerunt. Ignofcamus Accurfio brevibus notis Jus civile illuftranti, fed cum græcas voces offendit, *hoc græcum eft*, clamanti, *nec legi poteft*, *nec intelligi*, ignofcamus, inquam, fi græcæ linguæ ignarus (*a*) in errores incidit vix pueris condonandos; quemadmodum ea de caufa Gratianus in compilando Jure Canonico alicujus Concilii, aut S. Patris græci fententiam non affequitur, aut etiam falfam apponit. Ignofcamus quidem hominibus bene de jure meritis; quod non ipfis culpæ vertendum eft, fed iis temporibus vitio dandum, quibus græcarum litterarum imperitia omnes oppleverat. Verum ne longiffima ac propterea moleftiffima enumeratione recenfeam aut eorum exempla, qui Græcæ Linguæ ftudio deftituti nullam, vel exiguam nominis famam adepti funt, aut eorum, quorum nomen græca eruditio immortali laude donavit, quæ tandem Ars plene cumulateque addifci poteft fublato hoc, de quo loquimur, adjumento? An illa fcientiarum Princeps Theologia? cujus amplæ pretiofæque divitiæ magna ex parte græcis litteris concreditæ funt. Nam, ut nihil dicam de voluminum copia, SS. quidem Patrum Græcorum nomina tot funt, ut Nicephorus Calliftus catalogum conficiendum putarit. Sacrarum autem Scripturarum certe Novi Teftamenti exemplum certius & caftigatius græcum eft: at quot Concilia græce fcripta fuerint Sozomeno recenfendi curam relinquo. O te præclarum Theologum! fi difcrimen ignores inter θεότοκος, (Dei Filia.) & θεοτόκος, (Dei Mater) quo tota vertitur pro Anaftafio

(a) *Incert. Scienz. p. 246.*

presbytero & Dorotheo Episcopo, impietate, & impudentia paribus, hæresis Nestoriana. O te in Theologicis concertationibus primo subsellio dignum! si nescias quæ subjecta sit notio τῷ προσκυνεῖν, (venerari.) quæ τῷ λατρεύειν, (cum tremore & Religionis servitute colere.) quorum verborum inscitia tot tantasque turbas in Concilio Francofurtensi (*a*) inter Gallos, & Germanos Episcopos excitavit, contendentes de cultu Imaginum decreto in Concilio Nicæno secundo. Quo te vertas, ubi disputandum sit de Rom. Pontificis auctoritate, si illa non intelligas, quæ habentur in Concilio Florentino (*b*) pro Ecclesiæ Græcæ cum Latina conjunctione? καθ' ὃν τρόπον..... sed ingressus sum in immensum mare sine spe ad litus appellendi, aggressus singillatim ostendere in quot scopulos impacturus sit ille, qui se Theologiæ studio committat, græcæ Linguæ studio prætermisso. Quocirca retraham me ab incœpto cursu, & hoc statuam, quod mentis compos quisque mihi concesserit, hujusmodi Theologum non vitaturum errata, quæ pro vestra eruditione nostis non paucos, qui Theologi nomen usurpabant, sed eosdem minime φιλέλληνας (Græcarum rerum studiosos) offendisse: nimirum, ut non raro a Græcorum Patrum sententia longe aberraverint. Quod si Theologiam, quæ nostra est, sine græcarum rerum intelligentia nemo plene didicerit, quid dicendum putes de Mathesi, Philosophia, Historia, & Arte Medica, quæ totæ e fundo græco sunt, ibi ortæ, ibi altæ, ibi perfectæ, inde omni ætate petitæ, inde in omne ævum petendæ? Eloquentia vero, ac Poesis opulentissimum est Græciæ patrimonium: & quamvis Latini græcæ doctrinæ, & humanitatis hære-

(a) *Lab. Conc. Tom.* 7. *p.* 1057.
(b) *Incer. Scienze p.* 328.

redes jure dici possunt, tamen acriter constanterque defendam sine Lingua Græca Latinam mancam ac mutilam esse, nec satis uberes ex ea fructus percipi posse. Nam, cum omnia Latini a Græcis hauserint, cum sæpiissime quæ dicunt ad Græcos referant, & sæpe quæ dicunt græca sint latinitate donata, atque adeo nonnunquam græcis vocibus tanquam opere vermiculato suos libros exornent, cum hac una ratione nobilitata sit Romana & Poesis & Eloquentia, quia suavitatem ab Isocrate, subtilitatem a Lysia, lenitatem ab Æschine, vim a Demosthene Latini didicerunt; quia consuluerunt Menandrum Poetæ Comici, Sophoclem Tragici, Pindarum Lyrici, & quia, cum singulorum, in quibus eminent, virtutes expresserint, universas Poeticæ virtutis partes ab Homero effinxerunt, te Latinorum Scriptorum vestigia detecturum, & virtutes intellecturum confidas iis neglectis fontibus, unde Latini biberunt? Ut minora missa faciam, Prosodiam, Orthographiam, Ethymologiam, Grammaticam, quæ ipsa græca nomina satis indicant quantum lucis Latino Sermoni Græci cognitio afferat, ipsa Nummorum, ac Lapidum notitia, quæ tantopere eruditos homines occupavit, tantumque Historiæ lumen attulit, quæ, sodes, præsidia a græca lingua non postulat modo, sed etiam flagitat, cum Inscriptiones magna ex parte græcis characteribus exprimantur? Quare ita græcæ Litteræ per totum, ut sic dixerim, scientiarum & Artium corpus diffusæ sunt, ut sine græco spiritu necesse sit omnem facultatem languescere, & sine græca luce quemvis Artium studiosum in magna rerum obscuritate versari. Dissimulavi, ut verum fatear, diutius, quod obiici mihi potest: nimirum necessariam aliquando græci sermonis cognitionem fuisse, nunc vero per homines laboriosos Græcorum scriptis alio sermone redditis, compendiariam factam esse viam,

faci-

facilem minime molestam iis, qui frui doctissimis Græcorum inventis concupiscant. Equidem Interpretum studium laudo: hac enim ratione sibi maxime profuerunt: id enim sunt consecuti, ut Græcæ Linguæ peritissimi evaderent, ut sine difficultate Provinciam Græcam percurrerent, & ad ἐγκυκλοπαιδείαν (Disciplinarum orbem) sibi aditum aperirent: profuerunt, inquam, sibi; at, si recte judicare velis, non aliis. Neque ego hic censorem agam in eos homines, quos valde suspicio, quos præcedentes longissimo intervallo sequor; non illorum interpretationes ad trutinam revocabo, ut errores detegam, quibus consarcinandis non est cur abutar patientia vestra. Nam, ita me Dii ament, ut, si liberet, horum errorum volumen conficerem, præsertim si typorum quoque errores adjungerem. Sed fac omnia castigata esse, & Archetypo exemplum respondere. An perinde putas Interpretes, atque Auctores ipsos audire? Deposito pallio prodeat Græcus aliquis quivis togatus: hoc peregrino vestitu mihi Græcus non est: barbarus videtur loqui: abest illa nativa δεινότης, (vis) quæ in græcis vocabulis inest, languet φράσις, (dictio.) friget γνώμη, (sententia.) totus denique spoliatus ille ornamentis suis, non aliud sui spectaculum facit, quam si phœnicopterus, aut psittacus detractis propriis atque nativis plumis alieno & mutuato colore exhibeatur. Omnes quippe Linguæ habent quid peculiare, atque ita suum, ut commune aliis esse non possit, quarum Scriptores, nisi quo scripsere sermone legantur, neque gratiam eamdem retineant, neque parem potestatem, & plurimum elegantiæ atque nitoris in optimis ac venustissimis translatis amittant. Ut Nationis, sic etiam Linguæ cujusque suus inimitabilis, ut sic dixerim, genius est, ut licet ab

In

Interprete reddantur eadem, aliam tamen speciem obiiciant: eam scilicet, quam aversa exhibent peripetasmata, in quibus figuræ quidem eædem, sed informes apparent, quæ in adversis se se offerunt elegantissimæ. Utinam duorum ex Atticis eloquentissimorum nobilissimæ Orationes inter se contrariæ Æschinis, Demostenisque quas Tullius convertit, existerent, quas convertit non ut Interpres, sed ut Orator, sententiis iisdem, & earum formis, tanquam figuris, verbis ad romanam consuetudinem aptis, in quibus non verbum pro verbo necesse habuit reddere, sed genus omnium verborum, vimque servavit; (a) non enim ea se annumerare Lectori putavit oportere, sed tanquam appendere! Optimum, quod minime dubito, convertendi exemplar haberemus; non sic tamen, ut Orationem pro Milone non legere malim. At si a nostris in iis, quæ conversa sunt de Græcis splendorem Ciceronianum petas, aquam a pumice petas; & tamen quovis pignore certem, neminem, qui græce sciat, sibi persuasurum, hujus de quo loquimur sermonis candorem, urbanitatem, saporem, sinceritatem, lepores, veneres, uno verbo, quidquid atticum dicitur, vel Ciceronem expressurum unquam fuisse. Ad illud jam devenimus, Adolescentes, quod studia vestra accendere summopere & inflammare debet; eo vos adduco, unde pura fluunt hymettia mella, ubi cum Suada habitant Musæ, Charitesque: facile est Græcæ Linguæ elegantiam & venustatem exponere, sed græce nescienti non facile persuadere: Nihilo tamen secius cum audiat quis a Cicerone, Jovem, si loqui vellet, non aliter quam Platonis lingua locuturum, ejus, inquam, Pla-

(a) *De opt. gen. Or. n.* 14.

Platonis, cui parvulo apes in labellis consedisse dicuntur; cum intelligat a Dionysio Halicarnasseo eam esse Xenophontis jucunditatem inaffectatam, ut ipsæ sermonem Gratiæ finxisse videantur; si Laertio fidem habeat affirmanti, Dialecticæ si usus esset apud Deos non futuram aliam, quam Chrysippeam; si ad fabulas non amandet, quod de Theophrasto dicitur, & D. Chrysostomo, quorum alter divinitate dicendi, alter aurea eloquentia nomen invenit; si auscultet Quinctiliano concedenti sermonem ipsum Romanum (atqui ille & est, & habetur elegantissimus) non recipere illam solum concessam Atticis venerem; si noverit atticam munditiem, atticos sales, atticas ironias, Floræ attica vireta, verbo, illum tantopere celebratum Atticismum passim a Latinis nominari, quoties aliquid efferre cogitant, quo nil venustius, nil elegantius intelligi velint; hæc & alia multa de Græca Lingua qui auditione acceperit, tametsi ejus suavitatem non gustarit, tamen non potest non magnum aliquid de ejusdem venusta nitida casta incorrupta dulcissima simplicitate sibi animo fingere. Certe Attici nescio quo sapore vernaculo quasi thymum redolente reliquos Græcos superabant, quorum aures sic teretes erant ac religiosæ, ut ille ipse Teophrastus, quem superius tanquam disertissimum laudavimus, cum ætatem ageret Athenis, optimeque diceret, apud Anum Acticam loqnens (*a*) speciem hospitis non effugerit: & ut paucis multa dicam, *bene dicere*, Tullio (*b*) teste, id erat, *attice dicere*. Verumtamen nolite putare Dialectos cæteras inurbanas & inficetas fuisse; quemadmodum cum Hetrusca Lingua apud nos atticum sapere dici possit, in multis Italiæ Ur-

(a) *Brut. n.* 172. & *Quinct.* 8. 1.
(b) *De Opt. gen. Or.* 13.

Urbibus fermo abfonus eft, agreftis, inconditus, rudis, fed Græcorum dialecti omnes elegantes erant, venuftæ, & peculiarem gratiam habebant. Quid elegantius Anacreonte? Et tamen omnia fcripfit lingua Jonica. Quid Theocrito fuavius? ei tamen lingua Dorica familiaris eft. Pindarus tandem, Ariftophanes, Euripides, Sophocles, & fupra cæteros Homerus varias cujufque græci idiomatis notas commifcent; ex qua varietate, quæ unius græcæ linguæ propria eft, oritur in Orationis numero, vel rythmo modo evidentia, modo majeftas, modo jucunditas. Hæc Dialectorum & caftigatarum quidem omnium varietas facile oftendit Græcam Linguam inter cæteras verborum fœcunditate pollere; præfertim cum derivatio & compofitio vocum varietatem infinite multiplicet. Quid fermonem Romanum tantopere jactas M. Tulli? Si Brutus ille tuus excellens omni genere laudis fic Philofophiam (*a*) latinis litteris perfecutus eft, nihil ut iifdem de rebus græca defideranda fint, tametfi repugnare poffim, non repugno. Verum te ita fentire, & fæpe differuiffe Latinam Linguam non modo non inopem, (*b*) ut vulgo putarent, fed locupletiorem etiam effe quam Græcam, & venditare (*c*) alibi Latinos non modo non vinci a Græcis verborum copia, fed effe in ea etiam fuperiores, eo quafi firmiffimo argumento, quod laborem & dolorem Græci uno nomine appellant πόνον, tum vero irriforia exclamatione exultare, (*d*) *o verborum inops interdum, quibus abundare te femper putas Græcia: aliud eft dolere, aliud laborare;* hæc te dicere, qui noviffe debueras, Græcos aliud nomen habere, quo dolorem fignificant, λύπην, aliud quo laborem, πόνον;

enim

(a) *Acad.* 2. (b) *de Fin. l.* 1. *n.* 10.
(c) *de Fin. l.* 3. *n.* 5. (d) *Tufc.* 2. *n.* 35.